ANDREAE FABRICII LEODII

SAMSON.

TRAGOEDIA NOVA, EX SACRA IVDICVM HISTORIA DESVMPTA,

pręmiſsis ad eius illuſtrationem inſignibus orthodoxorum Patrum ſententijs.



COLONIAE,

Apud Maternum Cholinum.

Anno M. D. LXIX.

Acta ludis nuptialibus Illustrissimi Principis ac Domini, D. Uuilhelmi, Comitis Palatini ad Rhenum, & vtriusq; Bauariæ Ducis, Othone Augustano Cardinale, Imperatoris Maximiliani, & Philippi Regis Hispaniarum legatis, Ferdinando & Carolo Archiducibus Austriæ, Ioanne Iacobo Archiepiscopo Salizburgensi, pluribusq; alijs Principibus cùm Germaniæ, tum cæterarũ Nationum præsentibus.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, D. VVILHELMO, COMITI PALAtino Rheni, vtriuſque Bauarię Duci, Domino ſuo clementiſsimo felicitatem.

POſteaquam, Illuſtriſsime princeps, mihi intellectum eſt, quanta Gentilium tuorum, variorumq́ue, totius propemodum orbis Chriſtiani principum, in tuas nuptias eſſent ſtudia, quantiſq́ue fauoribus ſanctam iſtam cum Renata Lotharingiæ Ducis filia, copulam, excipere meditarentur, pro eo quo familiæ veſtrę obſtrictus ſum affectu, induxi animum nec mihi ad illas cum Illuſtriſsimo principe Erneſto, Eccleſiæ Friſingenſis Adminiſtratore, fratreq́; veſtro Germano, prius eſſe veniendũ, quàm aliquid quod jiſdẽ ornamento eſſe poſſet, conferrẽ. Quum ergo non neſcirem, quanto apparatu varij generis ludicra inſtituerentur, quot certamina, quanti cùm pedeſtres, tum e-

queſtres concurſus, expedirentur, me ni-
hil veſtra Celſitudine indignum iudica-
ui facturum, ſi aliquod ſedatius ſpecta-
culum adiungerem, quod & minus peri-
culi, & plus forte vtilitatis ad animorum
inſtitutionem afferret. Deſcriptam ergo
à me de Samſone Iudęorũ Duce tragœ-
diam, rectoribus collegij ſocietatis Ieſu,
quod proximis annis magno Reipub.
Chriſtianæ bono, parens tuus erexit, vt
per iuuentutem ſibi commiſſam, exhibe-
retur, tradidi: quod & magna laude in
aula Ducali etiam ab ipſis effectui man-
datum eſt. Hoc tamen vt T. C. iuxtà me-
cum tenet, multis dolentibus, quod in
tot principũ & nobiliũ cõſeſſu apparatui
iuuenumq; alacritati cœli temperies re-
ſponderet. Neque profectò Illuſtriſsime
princeps aliud in ſacra ſcriptura occurre-
bat exemplũ, quod hoc loco in medium
proferrẽ, aut iſto tempore tibi, familiæ-
q́ue tuæ accommodatiùs dedicandum
putarem. Si enim iucunditas rerumq́ue
geſtarum magnitudo quæratur, quid iu-
cundius? quid admirabilius quã vel corã
videre, vel audire quomodo quaúe arte
trecentæ vulpes integrã regionẽ euaſtaue
rint? quid magis ſtupendum quàm vnum
hominem

hominem maxilla aſini, quã ſors offere-
bat, duntaxat armatũ integrũ exercitum
eũq; numeroſum profligare? fontẽ è dẽ-
te molari mortui animantis, ſubito erum
pere? Quid magis inopinatum, quàm cer
nere virum vnicũ ciuitate clauſum (ho-
ſtibus etiam inſidiantibus) portis eliſis,
ablatiſque cum ſera & repagulis foribus,
erumpentem? ad extremum, hunc qui
tanta tamq; ſtupenda geſſerit, per fœmi-
neos dolos in miſerrimã conditionẽ reci
dere? Ad parandam aũt viro principi pru-
dentiã, ad res vel perſequẽdas vel fugien-
das, Deum immortalẽ, quę vtilitas ex Sã-
ſone non colligatur? Hinc enim Dux po-
pulorum futurus didicerit, quàm pericu-
loſum ſit alienæ mulieris copulam adſci-
uiſſe, ibique coniugia quærere, vbi con-
traria eſt religio. Nec ſuis, vſque luculen-
tiſsimis exemplis noſtra vacant tempora,
vt etiam affirmare non dubitem hinc ma-
ximos motus in vtriuſque Germaniæ re-
publica obortos eſſe. Res eſt, fateor, ma-
gni meriti peccatricem errorum vndis
eximere, aut hæreticum ad integritatem
fidei reuocare. Sed quotuſquiſque eſt,
qui iſtud tentarit, & non contraria exper
tus, dum capere cogitabat, captus ſit? Om

 nium

nium mortalium ſapientiſsimus Salomon ex alienigenis vxorem accepit, ſed hinc factus voluptatū ſeruus, eò tandem perductus eſt, vt etiam idolis ſacrificaret. Aſſumpſit ſibi & Oſeas mulierem fornicariam, ſed illa ideo impuris voluptatibus morem gerere non deſtitit. Quanta autem Samſon per Philiſtæam vxorem affectus ſit iniuria, quotq́ue motuum occaſiones inde prouenerint, pręſens docuerit actio. Obtendant igitur noſtri temporis ſapientes & pacifici illi doctores quaſcunque velint cauſas libertatis religionum, & eiuſmodi etiam nuptias comprobent, quibus diſcordi conſenſu Chriſtiani nominis homines infidelibus copulantur, nunquam, ſi experientia rerum magiſtra duce vtamur, has eſſe tutas dixerimus, nec eam copulam ſanctam eſſe affirmauero, vbi tot diſcordiarum incentiua fuerint, tantaq́; nobis eſſe non poteſt ſpes lucrifaciendi cōſortem, quātus eſt timor perdendi fidelem. Senſus enim & cogitatio humani cordis ab adoleſcentia ſua in malum fertur, proniuſq́; noxia quàm quæ ſalutem promouerint quiſque arripit. Vt autem hęreticorum fraudes facilius deprehendas, & religionis

nis hoſtes ſuo mucrone iugules, qua arte potiùs vtemur, quã quę nobis facto Samſonis hic demonſtratur? Multarum vulpium ferax eſt alienigenarum ſolum, quę non duntaxat eorum ſegetes depaſcuntur, ſed etiam agrum Domini, ſi quando poſsint irrumpentes, optima quæque demoliuntur. Hac autem vna cum exitioſis impiæ gentis fructibus facile perdiderimus, ſi factum Samſonis imitantes caudas earum inuicem colligemus. De quibus autem hic & paſsim alibi in ſcripturis agatur vulpibus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Bernardus, cæteriq́ue ſcriptores eccleſiaſtici ſuis monumentis clarũ effecerunt. Nec dubium eſt, hęreticos propter vafriciem & inexplicabiles dolos, quibus incautos circumueniunt, intelligi. Horum igitur caudę & ad fraudem compoſitæ argumentationes, catholicæ doctrinæ vinculis cõnectendæ ſunt, componenda ſententia ſententię, videndum quî fidei hoſtes conueniant, concluſio concluſioni iungenda, & ad extremũ quàm inter ſe diſsideant apparebit. Quãuis enim ſubdolum iſtud animantis genus hic rictus & pedes principio liberos habeat, quamuis illis omnibus hoc ſit com-

commune,vt patentia habeant aduersus Dei maiestatem ora, quamuis blasphema aduersus Christi Ecclesiam ganniant: exitus tamen eorum sunt implicati, ardent cupiditatum ignibus eorum posteriora, in carnem desinunt eorum argutiæ, discordiarum flammæ vulpeculas inuicem agunt,ardoribus dissidétium opinionum inflammatę, agros & vineas, quibus pasci alias solent,vastant.Non lubet in pręsens altiùs in Maiores tuos,qui hanc Samsonis virtutem ęmulati, immortale nomen apud posteros reliquerunt, euagari,parens tuus Albertus sufficientem scribendi materiam solus suppeditauerit,qui,quod olim Samson sub typo gessit,hoc re ipsa varijs modis,pro religionis Catholicę vtilitate, compleuit, & ad vocem sponsi,apud Salomonem frequenter respectans, nullius rei cura magis tenetur,quàm vt hoc eius pręscriptum
Cantic. 2. exequatur: Capite nobis vulpes paruulas quę demoliuntur vineas. Hinc namque tot viros probitate,& doctrina ornatissimos, insigni beneficentia & liberalitate semper fouit,quorum opera vsus vulpeculas irrumpere tentantes aut deterruit, aut cepit,aut sua uinea profligauit. Non hic

hic commemorabo, quot hominum millia, qui vulpecularum fraudibus decepti, à religione defecerant, illa parentis tui, Doctorumque hominum solertia intra paucos annos ad vnionem catholicam redierunt. Non nominatim illos hic recensebo, qui etiamnũ fortiter aduigilãt, ne vulpeculæ in hanc eandem vineam irrumpant. Ex sapientis sententia homines non tam in vita, quàm post vltima funera laudandi sunt. Vnum igitur ex fortibus illis athletis in medium producam, qui non ita diu naturæ debitum persoluit. Fredericum Staphylum, qui sub tui parẽtis alis sustentatus egregiã Reip. nauauit operam, tacere nequeo. Quis eo, vtpote multis annis cum lupis, animosisq; vulpibus cõuersatus, vulpecularũ latebras meliùs retexit? Quis Melanchtonis, Suencfeldij, Illyrici, Musculi, cæterarumque eius generis vulpium caudas validioribus vinculis colligauit? Quis deceptoris illius VVitenbergici imperitiam, Quis Smidelini officinam ignibus cupiditatum, & fraudibus perpetuò calentem, incautis populis clariùs retexit? An non in celeberrimo procerum conuentu, ipsemet parens Herculeo

 velut

velut nodo vulpecularum caudascon-ſtrinxit? Non deerãt nuper in comitijs Auguſtanis quidam hęreſiarchę,qui per principes, quos ſuis fraudibus circumuenerunt, negotium religionis vrgerent, & ſub concordię prætextu maiorem diſcordiam meditarentur. Hunc dolum quis prudentiùs tuo parente eluſit? Quid,inquit,vultis nos bonas horas hic terere? An ſpes vlla eſſe poſſit inter Catholicos & Lutheranos concordiæ, cùm inuicem tantopere diſsideatis? Facite, addidit,inter vos prius conueniat, atque tunc de conciliatione duarum partium cogitetur. Huius certe reſponſionis vinculo quę ibi erant vulpeculę non modo caudis ſunt implicatæ,ſed & fœtulenta ora, quo minus in poſterum hac de re muſsitarent, impedita. Quin ne ad hoc quidem tempus nodum quo tunc ſunt inuolutæ ſoluerunt, etiamnum caudis caudæ hærent. Diſcordiarum flammæ etiamnum ad æternos ignes prælucent,eorumque poſteriora adurunt. Facilius quicquid tandem aduerſus Staphilum crepet Smidelinus,inter Cadmeos fratres conuenerit, quàm illi inter ſe conſentiant, qui de ſingularitate ſcientiæ atque honoris

noris

noris ſemper ſolicitantur. Non enim diſputare, inquit Auguſtinus, amant hęretici, ſed impudentiſsima peruicacia quoquo modo ſuperare. Cęterum, ne difficilius epiſtola exitum inueniat, quæ in pręſenti hiſtoria ſequuntur, longiori ſermone non perſequar. Ipſemet, non dubito, Illuſtriſsime princeps, pro ea qua polles eruditione intelligis, quò Samſon in ſummis difficultatibus pium plebis vindicem confugere doceat, quàm prompta ſint Dei in anguſtijs auxilia, quàm nullæ ſint in conſpectu illius innumerabiles etiam copię, quàm vanæ ſint quęcunque ſpes citra diuinum fauorem, quàm ignominioſè ſummus ille rerum moderator religionis hoſtes eludat, quàm fideliter, tantiſper atque debitus honos illi redditur, mandatorumq; obſeruatione virtutum cincinnos integros cuſtodimus, nos adiuuet. Sic enim ne millia populi circundantis aliquid aduerſus nos poterũt, tunc vel ipſas inferorũ portas diſcuſſerimus. Sin pulchrum illũ virtutũ nexum per inobedientiam, per animi ſegnitiem, per mulieris fornicariæ fraudes diſſoluamus, mox antecedens omnis gloria in nihilũ reciderit, tandemq; hoſtium

Libro 13. contra Fauſtum, cap. 12.

ſpiri-

ſpiritalium violentia excæcati, miſeram ſeruitutem ſeruiemus. Quod autē hic dicimus de mulieris fornicariæ fraudibus, non velim tam ad carnalem fornicationem (cuius nec leuis quidem ſuſpicio in illum cadere queat, qui per totum vitę decurſum ſe tam inſignem caſtitatis, omniſque pietatis cultorem demonſtrauit) referri, quàm ad animæ impuritatem, qua quis fornicaturà domino & ſacram illam copulam, qua cuiuſque anima, per veram fidem æterno ſponſo coniungitur, hęreſi ſuperinducta violat. Hic eò maius latet periculum, quò ſpirituales inſidiæ apertis aſſultibus ſunt occultiores. Diabolus enim, mille artifex, plures rimas, quibus iuſtum, oppugnet, nouit, plures modos tenet quibus immiſsis in animum prauis cogitationibus, peruerſaque verbi diuini intelligentia bonum ſemen euellat, & fructum fidei exterminet, plures habet miniſtros, qui ſe in angelos lucis transforment, qui ſub religionis, ſub zeli cuiuſdam pretextu, infirmos animos in fraudem agant, qui ſuo ſtudentes commodo, quiduis ſimulant & diſsimulant. Inter Catholicos ſunt Catholici, inter hæ

reticos sectarij. Sed viro forti, si vtilitati vineę suę consultũ velit, capiendæ sunt istę vulpes, dum adhuc sunt paruulæ. Ipsis occurendum est principijs, vt prauæ cogitationes adolescant,non est permittendum, nulla ratione de religione suspectis aures præbendæ sunt. Corrumpunt enim mores bonos,fidemq́ue eneruant colloquia mala. Nunquid potest,inquit Salomõ, homo abscondere ignem in sinu suo,vt vestimenta eius non ardeant? Nunquid ambulare quis potest super prunas, vt non conburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem fornicariam non impunè feret, cùm tetigerit eam. Ne intenderis igitur,monet idem,fallaciæ mulieris.Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.Nouissima aũt illius amara quasi absyntiũ, & acuta quasi gladius biceps,pedes eius descendunt in mortem,& ad inferos gressus eius penetrãt.Multos vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Vię inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.Quem igitur affectum,quod studium T.C. censet mulieri adolescentiæ suæ deferendum, quo amore tuam Renatam

natam conplecteris,eodē semper affectu religionem in qua & natus & summa pietate hactenus adoleuisti prosequere. Grauissime quidem adulterium carnale plectit Deus,sed multo magis spiritali adulterio offenditur,cum ad primā scilicet fidem superinducunturpellices, nouaque dogmata in animę nostrę lectulum admittimus. Qui eiusmodi adulterium committit,animam suam perdit, turpemque suæ infidelitatis maculam apud posteros relinquet,nec zelus & furor æterni illius iudicis parcet in die vindictæ. Futurum autem est,vt neutrius fornicationis,in cuius pertractionem facta Samsonis nos induxerunt,rei apud Christum vnquam inueniamur,si verbo Dei,rerumq́; sacrarum lectione animos nostros præmuniētes,magis ac magis in mulieris nostrę adolescentiæ,primæq́; fidei cognitionē peruenire,& per consolationem scripturarū solidam rerum æternarum spem cōsequi studeamus. Tu igitur Illustrissime princeps,sic cum cerua charissima lætare,sic bibe aquam de cisterna tua,sic fluenta putei tui haurias,vt aliquādo deriuētur fontes tui foràs. Sit vena tua benedicta,& benedictionibus vtere felix. Eiusmodi ex

eadem

eadem liberorum pignora ſuſcipias, quæ veras priorum parentum imagines apud poſteros repręſentent. Sanctum illud ſemen, Germanię ad conſeruationem catholicę religionis relictum, ita multiplices, vt aliquando omnes pij tibi merito accinere poſsint: Beatus vir qui timet Dominum, & in mādatis eius plurimum ſibi complacet: Potens in terra ſit ſemen eius, & poſteritas rectorum benedicatur: Gloria & diuitiæ in domo eius, & memoria virtutis eius manet in ſeculum ſeculi.

Illuſtriſsimę Celſ. tuę.
addictiſsimus in Chriſto ſeruus

Andreas Fabricius.

Candido Lectori S.

VT Christiane Lector intelligeres, quàm syncera fide in huius Tragœdiæ argumento simus versati, & iustum veluti commentarium in quatuor libri Iudicum capita, quæ in scenam à nobis sunt traducta, tibi offerremus, ex præcipuis venerandæ antiquitatis scriptoribus, quasdam quæ huc conferrent sententias, adiecimus, quas si attentè perpẽdas, non contemnenda, tum ad virtutem colendam, tum ad Hæreticorum fraudes percipiendas documenta, inueneris. Vale, & nostrum studium boni consule.

DIVI AMBROSII VIGILIO INSTITVENTIS EVM, QVOMODO PLEBEM DOCERE DEbeat, ac inter cætera, vt coniugia ex alieniegnis refugiant, Samsonisq; exemplo comprobantis, quàm perniciosum sit alienigenæ mulieris copulam adsciuisse. Epistola 70.

Poposcisti à me institutionis tuæ insignia, quoniam nouus accitus es ad sacerdotium. Et quoniam teipsum ædificâsti, ut oportuit, qui dignus habitus es tanto munere: quomodo & alios ædifices, insinuandũ uidetur. Primũ omniũ cognosce ecclesiam Domini tibi commissam, ideoq; semper uitandũ, ne quid obrepat offensionis, & fiat uelut commnne corpus eius, Gentilium admixtione. Vnde scriptura tibi dicit: Ne accipias uxorem de filia- Gen. 28. *bus Chananæorum, sed uade in Mesopotamiam in domum Bathuelis, id est, domum sapientiæ, & eius tibi acquire copulã. Mesopotamia aũt regio est in partibus orientis, quæ duobus maximis per ea locorũ Euphrate et Tigri fluminibus circunuenitur, quibus origo est in Armeniæ locis. Influunt autem diuerso meatu in mare rubrum, & ideo Mesopo-*

tamiæ nomine signatur figura Ecclesiæ quæ maximis fluentorum prudentiæ irriguit atque iustitiæ fœcundat mentes fidelium, quibus sacri baptismatis, cuius typus præcessit in rubro mari, infundit gratiam, culpamq; abluit. Doce ergo plebem ut *non ex alienigenis, sed ex domibus* Christianis *con*

Christiani non nisi cũ Christianis contrahere debeat matrimonium

iugij quæratur copula. Nemo *fraudet mercenarium mercede debita, quia & nos mercenarij sumus* Dei *nostri, & ab eo mercedem laboris nostri expectamus.* Et *tu quidem ô quicunq; es negociator, mercenario tuo mercedem pecuniariam negas, id est, uilem, caducam: tibi autem negabitur merces promissorum cælestium.* Non *fraudabis ergo, ut* Lex *dicit, mercenarium mercede sua.* Non

Vsuræ fugiendæ.

dabis pecuniam tuam ad usuram, quoniam scriptũ est quòd is qui pecuniam suam non dedit ad usuram, habitabit in tabernaculo Dei. Nam *ille est supplantator, qui usurarum captat emolumenta.* Itaq; *uir* Christianus *si habet, det pecuniam quasi non recepturus, aut certe sortem quã dedit recepturis.* Habet *in ea non mediocrem usuram gratiæ.* Alioquin *decipere istud est, non subuenire.* Quid *enim durius, quàm ut des pecuniam tuam non habenti, & ipse duplum exigas?* Qui *simplum non habuit, unde solueret, quem ad modum duplum soluet?* Exemplo *nobis sit* Thobias, *qui nunquam requi-*

siuit

siuit pecuniam quam dederat, nisi extremo uitæ suæ tempore, magis ne fraudaret hæredem, quàm ut depositam pecuniam cogeret, ac recuperaret. Populi sæpe conciderunt fœnore, & ea publici exitij causa extitit. Vnde nobis Sacerdotibus id præcipuæ curæ sit, ut ea uitia resecemus, quæ in plurimos uidentur serpere. Hospitem doce uoluntarium magis quàm ex necessitate esse oportere ne in hospitio deferendo inhospitalem affectum animi sui prodat, & in ipsa hospitis susceptione per iniuriã uioletur gratia, sed magis excolatur officium usu, & aliquo humanitatis ministerio. Non enim à te munera exiguntur ditia, sed officia uoluntaria, plena pacis & conuenientis concordiæ. Meliora sunt enim olera cũ amicitia, & gratia, quã si exquisitis dapibus adornetur cõuiuiũ, si desit affectus gratiæ. Legimus perẽptos graui populos excidio propter uiolata iura hospitij. Propter libidinẽ quoq; cõmissa bella atrocia. Sed prope nihil grauius quã copulari alienigenæ, ubi & libidinis & discordiæ incentiua, et sacrilegij flagitia cõflantur. Nã cùm ipsum coniugium uelamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest cõiugiũ dici, ubi non est fidei concordia? Cũ oratio cõmunis esse debeat, quomodo inter dispares deuotione, potest esse coniugij cõmunis charitas? Sæpe pleriq; capti

Sacerdotibus & Episcopis curãdum est ut suis locis iura hospitij inuiolata seruentur.

Si fidelis cum infideli contrahat grauissimum est peccatũ. & admodum perniciosum. Nume. 25.

amore fœminarum fidem suam prodiderunt, ut Patrum populus in Beelphegor. Vnde Phinees arrepto gladio, interfecit Hebræum & Madianiten fœminam, & mitigauit indignationē diuinam, ne totus populus extingueretur. Quid de pluribus exemplis loquar? Ex multis unum proferam, ut eius commemoratione liqueat, quàm pernitiosum sit alicingenæ mulieris adsciuisse copulam. Quis fortior & ab incunabulis suis munitior Dei spiritu, quàm Nazaræus Samson? Et ipse proditus est, & ipse per mulierem non potuit suam tenere gratiam. Cuius generationis & uitæ totius seriem historico digestam stylo enarrabimus secundum sacri libri continentiam, quæ in hunc est modum, non uerborum serie, sed sensu. Multos per annos hebræorum populum subditū Palæstini ac subiectum habebant, quoniam fidei prærogatiuam amiserat, qua uictoriā patres adepti fuêre. Non penitus tamen interciderat insigne electionis apud authorem suum & funiculus hæreditatis. Sed quia rerum secundarum insolentia sæpe extollebantur, dabat eos plerunq; in potestatem hostium, ut more ingenij humani remedium malorum de cælo sibi quærerent, Tunc enim Deo subditi sumus cùm aduersarijs aliquibus urgemur. Secundæ res mentem extollunt. Quod cùm alias usu probatum sit tum maxime

Samsonis virtus & res gestæ. Iudic, 16.

Iudæi cū iā fidem constantē Deo non seruarunt, Gentibus sæpius subijciuntur.

maximè in ea rerum conuersione, qua rursus ad hebræos à Palæstinis uersa uice res mutatæ. Nãq; cùm diuturna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa hebræorum pectora, ut nullus uirili ingenio ad libertatẽ animos tollere auderet, ortus est illis Samson diuino oraculo prædestinatus, magnus uir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantißimus, & quod sinè ulla controuersia sit, uiribus corporis omnium facile primus: eoq; ingenti admiratione nobis spectandus à principio, non illa quæ temperantiæ & sobrietatis iam inde à pueritia uini abstemius præclara insignia dedit, nec illa quæ intonso capite Nazaræus sacra diu seruauit custodia: sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia, atq; supra humanum modum perfectæ uirtutis stupenda facinora effecit, quibus diuinini oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctoriè tanta cum anteisset gratia, ut descenderet Angelus, per quem ortus eius præter spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & præsidium suis. Nam grauibus iam diu Palæstinorũ imperijs afflictabãtur. Pater illi erat de tribu Dan timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstans cæteris: mater utero sterilis, sed animi uirtutibus haud infœcunda: quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit uisionem Angeli, mandatum Ibidem 13 Parẽtes Sãsonis de futuræ prolis excellentia oraculo admonentur.

 tenuit,

tenuit, oraculum impleuit. Nec tamen passa sine uiro scire uel diuinitatis secretum, insinuauit marito uisum sibi hominem Dei præclara specie, futuræ sobolis ferentem oracula: qua pollicitatione sese fidentem cum coniuge fidem promissorum cælestiū participare. Quod ubi comperit, piè Deum precatus orauit, ut sibi quoq; uisionis eius gratia tribueretur, dicens. In me Domine Angelus ueniat tuus. Vnde ego arbitror, nō zelo mulieris, quæ esset spectabilis pulchritudinis, aliquid eum suspectum habuisse, ut quidam existimauit, sed magis diuinæ zelo gratiæ prouocatum conspectus sacri uoluisse participari munere. Neque enim uitijs animi prauè affectus tantam apud Deum inuenisset gratiam, ut Angelus in eius domum reuerteretur, qui monitis ijs quæ usus oraculi postulauisset, subito flammæ uehementis eleuatus specie, sese recepit. Id formidolosum uiro, mulier salubrius interpretata, in gaudium uertit, atque ademit solicitudinem, eò quòd prosperorum iudicium non aduersantium sit uisere Deum. Talibus è cœlo commendatus insignibus, ubi primum adoleuit, coniugio mentem intendit, siue quod uagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem, siue quia iam causa quærebatur, quemadmodum à ceruicibus plebis suæ auerteret Palæstinorū potentiam, duraq́; imperia. Pergens itaq; in Than-

Samson adultus cur animū ad nuptias adiecerit.

nata (urbi hoc nomen est in illis positæ locis, quæ tunc palæstinorum incolis frequentabatur) uirginem aspexit, grata specie & uultu decoro, & parentes proprios, quorum comitatu fultus gradiebatur, orauit ut eam in coniugium sibi poscerent. Verùm illi ignorantes quòd eò intentio uergeret, ut Palæstinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos iniuriæ demeretur, cùm ex coniunctione æqualitas, par & gratia consortij iure accresceret, aut si quid offensum esset, longiùs ultionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur. Sed ubi flectere animum pignoris legitimorum obiectũ frustra experti, in arbitrium eius uolentes cõcessère. Recepta itaq; petitione, *Samson cùm sibi promissam reuiseret, diuertit, & paulisper de aggere deflectit, continuoq; occurrit ei leo ferus de sylua, agresti libertate sæuior:* Comes *nullus, telum in manibus haudquaquàm suppeditabat: cedere pudor, & conscia uirtus fiduciam dare tunc irruentem in se brachijs amplexus necat, & lacertorum nodo examinatũ, præter aggerem supra syluestria germina proiecit ac dereliquit.* Locus *erat lætus pabuli, herboso gramine, uinetis cõsitus.* Itaq; *apud dilectißimã sibi sponsam exuuias feræ credidit sine momẽto futuras, cũ taliũ rerũ tẽpora nõ terribilib.*

Samson cũ leone certat.

ſpolijs,ſed mitibus gaudijs,& feſta fronde fiant uenuſtiora. Deniq; *poſt eadem regrediens uia fauum in utero leonis offendit, atq; abſtulit, donum parẽtibus ac puellæ futurum.* Talia *enim ſponſam munera decent, ac deguſtato melle fauum prædictis edendũ dedit, cauſam repreßit.* Sed *fortè quadam die nuptialis feſti celebrabatur conuiuium, læta in æpulis iuuentus mutuis ſe ad ludum inuitabat ſermonibus, alius cum alium ſalſiore dicacitate perſtringeret, ſicut ſe huiuſmodi uſus habet, certamen lætitiæ accendebatur.* Ibi *tum quæſtionem huiuſmodi propoſuit* Samſon *iuuenibus coæpulantius.* De *manducante exiuit eſca, & de forti proceſcit dulce.* Abſoluentibus *pollicens præmium quaſi mercedem ſapientiæ, triginta ſindones, & totidem ſtolas, ſecundum numerum uirorum comeſſantium, aut mulctam ignorantibus.* Qui *cùm enodare implexa, & diſtinguere ambigua nequirent, mulierem eius partim nimis exagitando, partim fatigando precibus, eo impulêre, ut à uiro poſceret quæſtionis eius abſolutionem, inſigne futurum coniugalis gratiæ in mercedem amoris.* Atq; *ea ſeu animi territa, ſeu muliebri ingenio inflexa ueluti pio quæſtu maritalis odij dolorẽ prætexere cœpit, quòd ſecretũ uiri cõſors totius uitæ & cõſocia nõ cõperiſſet, ſimilisq; cæteris habita foret cui*

Aenigma pronubis à Samſone proponitur.

arcanum

arcanum uiri proprij non crederetur. Odisti me, inquit, & non amâsti, quàm celâsti usq; adhuc. His atq; cæteris talibus inuictus cætera animus, mulieribus emollitus blanditijs, aperuit dilectæ propositam quæstionem, & illa ciuibus. A quibus uix tandem septimo die, qui præscriptus absoluendæ parabolæ fuerat, ante occasum solis comperta soluta sunt, atq; in hunc modum relata. Quid fortius leone? quis dulcius melle? Et ille respondit: Nec muliere aliquid perfidiosius. Nam si non domuissetis uitulam meam, nunquam intelligeretis parabolam meam. Et statim, descendit in Ascalonam, & triginta uiros peremit, quorum exuuias auferens, eos qui propositam quæstionem soluerãt, promisso munere donauit. Abstinuit autem à coniugio puellæ, cuius perfidiam deprehenderat, atque in patriam domum sese recepit, Turbataq; animi iuuencula, quæ indignationem læsi ferociam fortißimi fraudi sit futuram, iusta formidine perhorresceret, in alterius uiri concesit nuptias, quem tamen paranymphum sibi Samsonem quasi fidum solidum sodalem, cùm duceret eam uxorem, adsciuerat, nec sic tamen, prætento licet coniugio, offensionis periculũ auertit. Nanq; ubi res prodita, uolentiq; ad coniugem redire, interclusa copia, quod pater eam alij uiro nupsisset, diceret, sororem sanè

Vxor Samsonis quæ ex alienigenis acceperat, solutionem quæstionis fraude à marito extorquet.

Sãson priuatam iniuriam ad vltionẽ publicæ calamitatis cõuertit.

eius, si uellet ducere, liceret: stimulo iniuriæ exulceratus, publicã excogitauit ultionẽ capessere domesticæ contumeliæ indignatione: correptisq; uulpibus adulta æstate, cũ iam matura essent in agris frumenta, binas sibi inuicẽ cauda ad caudam ligauit: atq; in medium earũ ardentem inseruit facem, nodoq; abstrinxit inexolubili, & ultor iniuriæ super manipulos meßis dimisit frumentariæ quã fecerant incolæ Palæstinorũ. *At illæ igne exterritæ quacunq; præcipites conuoluebantur, spargebant incendium, & exurebant spicas eorum.* Quo *dispendio commoti, quòd omnes sibi locorum fructus interierant, factum principibus suis intimauerunt.* Et *illi miserunt uiros in* Thãnatam *qui mulierem, quæ uariato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum, parẽtesq; igni inuoluerunt, quòd ea causa suæ uastitatis & iniuriæ foret, nec oportuisse lædi uirum pronunciantes, qui posset malo se publico ulcisci.* Nec *tamen* Samson *populis* Palæ*stinorũ delicti gratiam fecit, atq; eo uindictæ fine contentus fuit, sed concidit eos strage maxima, plurimiq; eorum ferro interière.* Ipse *autem conceßit in* Ethan *ad torrentẽ in deserto.* Petra *illic erat munitio tribus* Iudæ. Palæstini *uerò, qui cum nõ auderent lacessere, nec munitionis prærupta arduaq; superare, tribum* Iudæ *denunciato adorsi urgere prælio,*

Palæstini cum ob segetes combustas, tum

lio, quòd subditos sibi & tributarios, perditũ iri ne quaquã iustum & æquũ, atq; ex usu inderetur publico, pro alieno præsertim facinore: consulẽtes in mediũ, tradi sibi designatorem tanti flagitij postulauerũt, atq; ita illis quod ab eo ita cõmissum esset, futurũ sine noxa. Qua præscripta sibi conditione uiri de tribu Iudæ tria millia ex suis congregantes adscenderũt ad eum, & præfato quòd eßent subdititij Palæstinorũ, quibus sibi neceßitas obediendi non ex arbitrio, sed ex periculi fomidine maneret, facti sui inuidiã retorquebãt in eos, qui in se ius cogendi habebant. Tũ ille: Et quæ, inquit, iustitiæ forma est, genus Abrahamidarũ, ut circũscriptæ primo coniugis, deinde abductæ, perniciosa mihi uindicta sit, & sine periculo domesticã iniuriam non licuit ulcisci? Tantumne inclinatis animos ad turpe uernularum obsequium, ut executores uos alienæ præbeatis insolentiæ, atq; in uosmetipsos uertatis manus? Si pereundum est, quia dolorem habui liberum, iuuat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, solicitata uxor. Si non licuit mihi uiuere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine meorum scelere. Retuli ego acceptam iniuriam, nõ intuli. Vos æstimate, an digna uicißitudo fuerit. Illi de damno fructuũ querũtur, ego de coniugis amißione. Conferte manipulos meßis & sociã thori.

ob cædem suorum recentem bello appetãt totam tribum Iudæ.

Samsonis ad suos egregia oratio.

Dolorem

Dolorem meum ipsi probârunt, cuius iniurias uindicauerunt. Videte quo uos ministerio dignos putant. A uobis cum morte affici uolunt, quem ipsi ultione dignum de ijs, qui me læserant iudicauerunt, & qui uindictæ præbuere ministerium. Sed si adeò subdita superbis colla geritis, tradite me hostium manibus, uos nolite occidere. Non mortem abnuo, sed uestrum fugio contagium. Verùm si formidine ceditis insolentibus, alligate uinculis manus: inermes licet, inuenient sibi arma, nodis solutæ. Certè conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si iuuenem in potestatem daretis. Quibus illi auditis, quamuis tria millia uirorum adscenderant, sacramentum dederunt, quòd à se uitæ eius uis nulla irrogaretur, tantummodo patiens uinculorum esset, ut deditionem eius patrarent, quo uacui fierent eius, cuius arguebantur facinoris. Accepta itaq; fide, speleo egressus deseruit petræ munitionē: ac duobus innexus funibus, ubi appropinquare accitos ad suscipiendum Palæstinorum ualidos uidet, infremuit spiritu, & uniuersa dirupit uincula, atq; arripiēs maxillam asini iacentem percußit mille uiros, fugauit alios, grandi uirtutis spectaculo, cùm inermo & uni cederent armatorum agmina. Et qui cominùs ausi fuerant congredi facili negotio, nullo laborc obtruncati: alijs

Sāson suorum uoluntati se, morte tantum excepta permittit.

Maxilla asini fugat integrum exercitum,

alijs fuga exitium dempsit. Vnde hodieq; Agon loco nomen est, quòd ibi Samson gloriosum certamẽ uirtute egregia consummauerit. Sed utinam, quàm fortis in hostem, tam moderatus in uictoria fuisset. Verùm quod facilè usu uenit, insolens rerum secundarum animus, qui debuit euentum pugnæ, diuino fauori, & præsidio deferre, sibi arrogauit dicens: In maxilla asini deleui mille uiros. Nec arã statuit Deo, nec hostiam immolauit, sed negligens sacrificij, assumptor gloriæ, ut triumphum suum perpetuò consecraret nomine, uocauit locum maxillæ interfectionem. Et mox siti grauiter cœpit inardescere, & potus deerat, nec iam ferre ac tolerare poterat. Vnde intelligens, quòd nihil tam facilè esset humano operi, quod sine diuino adiumento non difficilè foret, exclamauit atque obsecrauit, ne sibi Deus omnipotens in offensam uerteret, quòd imprudenter incauto sermone sibi aliquid aßignauisset. Quinetiam illam uictoriam Deo deputabat, dicẽs: Tu dedisti in manu serui tui saluem magnam hanc, & nunc subueni, quia ecce morior nunc siti, & in potestatem eorum, de quibus tantum donâsti triumphum, sitis neceßitate adiudicor. Quomodo Dei misericordia, cùm proiecisset ille maxillam, aperuit scißuram eius, & fons erupit ex ea, & bibit Samson, & resumpsit spiritum, Samson sitiens diuinitùs satiatur.

&

& uocauit locũ, Inuocationes fontis, eò quòd uictoriæ iactantiam inuocationis precibus emẽdauißet: ita diuersa iudicia maturè edita, quòd & arrogantia citò offensam incurreret, & humilitas sine illa offensione sese reconciliaret. Verùm ubi decursa serie bellum Palæstinorum composuit, & suorum declinans ignauiam, & hostilem despiciens manũ, Gazam se contulit (ea ciuitas erat in locis Palæstinorum) & habitabat illic in diuersorio. Quod cognitum Gazæi haudquaquã dißimulatione præterierunt, sed festinantes circundederunt diuersorium eius, & obsederunt uniuersos aditus domus, ne fugam in noctem componeret. Itaq; Samson cognito quid pararetur, compositas insidias noctis medio præuertens, columnas domus manibus amplexus, materiem totam & culminis molem ceruice ualida sustentans, in uerticem montis altißimi transportauit, qui imminebat urbi hebron, quæ populis hebræis incolebatur. Sed cùm libero & uago motu transgrederetur, non solùm religionis paternæ terminos, sed etiam morum limites, et maiorum obseruatione præscriptos, eam sibi futuræ mox cladis pestem inuenit. Namq; parum fida expertus alienigenæ uxoris prima connubia, qui debuisset cauere uel postea, rursus Dalilæ mulieris fornicariæ copulã nõ declinauit: & cum eam diligeret impensè,

Sãson Gazæos sibi insidiantes forti eludit facinore.

Sãson suæ cladis causam prauis moribus tã dẽ inuenit.

se, tentandi se causam dolis hostilibus præstitit. Adscendētes enim Palæstini ad eam, polliciti sunt pecuniā uiritim daturos, mille & centū denarios, si proderet eis, in quo ille fiduciam uirtutis suæ constitutā haberet, quo cognito circunueniri & capi posset. At illa quæ semel se pecuniæ prostituerat, astutè satis & callidè inter æpulas ad illecebras amoris, quasi admirans fortitudinis eius eminentiā, quærere cœpit, quo tandē genere tantū præstaret reliquorū uirtutibus, simul & quasi pauida atque solicita orare, ut dilectæ suæ committeret, quî nexus adstrictum alienæ potestati substerneret. Ille aūt sobrius & fortis animi aduersus delinimenta meretricia dolum dolo retulit, dicens: quia si uitibus uirentibus adhuc, & non aridis alligaretur, infirmitate corporis adæquaret aliorū similitudinē. Quo Palæstini per Dalilam sibi comperto, cùm uitea soporanti circundedißent uincula, quasi de improuiso excitum, haud degenerem offendêre notæ & solitæ fortitudinis, cùm solutus nexibus uirtus libera, multis licet, resisteret ac repugnaret. Sed ubi id parum proceßit, rursus Dalila quasi derisa, & conquerens repetere artes suas, & fidem amoris poscere non prætermittebat. Cui Samson ualidus adhuc consilij, dolum ridens, significat ligatum se septem funibus, qui adhuc sine usu forent, uentu-

Palæstini meretricis artes ad insidias promisso præmio excitant.

uenturum se in potestatem hostium, sed & hoc frustra fuit. Tertiò quoque tanquam de mysterio depropsit, iam lapsuro propior, si dissoluti essent crines septem capitis sui, & quasi in cubitum intexti, discederet ab eo uirtus sua. Et hoc quoque lusit insidiarum fabricatores. Ad postremum cùm illusum sibi totiens procax mulier deplorauisset, indignam se habitam dolens, cui committeretur arcanum dilecti, qui id quod pro remedio quæreret, ad proditionem suspectari uideret, lachrymis fidem coëgit: simul quia debebatur inuictæ ad id tēpus fortitudinis uiro, ut incideret ærumnam, saucius animi, secretum aperit, prætendere in se uirtutem Dei, & esse Domino sanctificatum, secundum, eius præceptum comam pascere, quæ si attonderetur, desineret Nazaræus eße, & propriæ uirtutis usum amitteret. Palæstini per mulierem comperta infirmitate uiri, sceleris mercedem afferunt, ut precio obnoxia dolum patraret. At illa meretricijs delinimentis fessum amoris in soporem compulit, & tonsore adhibito septem crines capitis eius admota nouacula abscidit, continuoq; interdicti præuaricatione uires minutæ, Deniq; ex somno experrectus: faciam, inquit sicut soleo, & excutiam me super aduersarios, sed nec animi sui alacritatem agnouit, nec uigor erat, nec gratia manebat. Itaq;

repu tans

reputans secum, quàm improuidè se mulieri aduersariorum credidisset, ut caluatus tentare ulteriùs aliquid damnatus infirmitatis nequiret, cæcatus oculos, uinculis manus præbuit, & compedibus innexus carcerem intrauit, multis sibi incognitum tempestatibus. Et *iam processu temporis crescere ei coma cœperat.* Itaque *cùm esset celebre conuiuium* Palæ*stinorum, conuentui producitur de carcere* Samson, *ac statuitur in populi conspectu.* Erãt *tria fermè hominum uirilis ac muliebris sexus millia & grauibus in cũ insultabant conuitijs, circumagebant ludibrijs, quòd duriùs & ultra ipsam captiuitatis speciem uiro ingenitæ uirtutis conscio tolerabatur.* Nam *uiuere & mori, naturæ functio ludibrio esse, probro ducitur.* Cupiens *igitur tantam contumeliam uel ultione solari, uel morte in reliquum præuertere, simulato quòd propter infirmitatem corporis & nodos compedum sustentare sese nequiret, poposcit à puero, qui dirigebat uias eius, ut admoueret eum ad columnas proximas, quibus domus omnis suffulciebatur.* Et *admotus, utraque manu fulcra totius cõprehendit ædificij, atque intentis ad festa sacrificij* Palæ*stinis, quòd* Dagoni Deo *suo deferebant, per quem sibi aduersarium suum datũ in potestatẽ arbitrabantur, mulieris perfidiæ dolos beneficijs annumerãtes cælestibus,*

Sãson fraude Dalilæ captus processu temporis crescẽtibus denuo capillis & se & hostes ingenti ruina inuoluit.

stibus, exclamauit ad Dominum dicens: Domine ad huc semel memor pueri tui esto, ut prō duobus oculis meis uindictā tribuas de nationibus, ne dent gloriam suis dijs, quòd ipsis iuuantibus me in potestate acceperint, nec uitam meam pluris facio. Moriatur animia mea cum Palæstinis, ut agnoscant sibi infirmitatem meam non minùs, quàm uirtutem exitialem fuisse. Concußit itaq; columnas magna ui, ac dissoluit & comminuit eas, quas secuta ruina superioris culminis, & ipsum inuoluit & uniuersos qui desuper aspectabant præcipitauit. Ibi magna uis marium fœminarumq; promiscue exanimata, & triumphus quæsitus perempto, super omnes superiores uictorias, haudquaquam degenere & decolore exitu. Nam etsi inuiolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac uita expertis belli fuerit uiris, tamen in morte seipsum uicit & insuperabilem gesßit animum, ut contemneret, & quasi pro nihilo haberet uitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quòd uictoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum, sed triumphalem inuenit. Circumscriptum autem fuisse à muliere, naturæ potiùs, quàm personæ asscribendum: quia humana conditio maior, quàm culpa inferior. Premitur enim & cedit illecebris flagitiorum. Itaque cum

Samson virtute sua triumphalem ınuenit exitum.

Diuinitus aliquando hostibus si dei aliqualis concedi tur aduersus fideles victoria, vt tanto grauius postea sentiant exitium.

ſcriptura ei teſtificetur, quod plures in morte, quàm in lumine uitæ iſtius poſitus occiderit, uidetur ad aduerſariorum magis exitium captus, quàm quò ipſe deiectior fieret, aut minor eſſet. Non eſt enim ſe expertus inferiorem; cuius ſepultura præſtantior, quàm potentia fuit. Deniq; non telis, ſed cadaueribus hoſtium preſſus humatus eſt, proprio tectus triumpho, clarum inſigne relinquens poſteris, eò quod populum ſuum quem captiuum inuenerat, uiginti annis in libertate iudicio ſuo rexit & ſepultus in patrio ſolo libertatis hæredem dimiſit. Hoc ergo exemplo liquet alienigenarum conſortia refugienda, ne pro charitate coniugij proditionis inſidiæ ſuccedant. Vale & nos dilige, quia nos te diligimus.

IDEM SVB MEDIVM tertij libri de virginibus.

PEte igitur, ut aſpiret tibi ſpiritus ſanctus, ſpiret ſupra cubile tuum atque odorem piæ mentis, & gratiæ ſpiritalis accumulet. Reſpondebit tibi, ego dormiui & cor meum uigilat. Audis uocem pulſantis ad ianuam & dicentis: Aperi mihi ſoror mea, ſurge proxima mea, columba mea, perfecta mea: charitate proxima, ſimplicitate columba, uirtute perfecta, quia caput meum plenum eſt rore. Sicut enim ros cæli nocturnas amouet ſiccita-

Cantic. 5. Mens hominis gratia Chriſti irrorata æſtibus ſeculi non areſcit.

ſiccitates, ita ros domini noſtri Ieſu Chriſti noctur nis, & ſæcularibus tenebris æternæ uitæ ſtillauit humorem. Hoc eſt caput, quod æſtu mundi neſciuit

Luc.23. areſcere. Vnde ait: Quia ſi in humido hoc faciunt, in arido quid facient? Hoc igitur caput rorat alijs ſibi abundat. Et bene abundat caput Chriſti, quia caput tuum Chriſtus eſt, qui plenus eſt ſemper, nec liberalitatibus exhauritur ſuis, aut diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non adſcendit, quod eſt inſtrumentum belli, inſigne diſcordiæ. Nunc expecta, & uide, ros ille qualis ſit, ſcilicet nõ uulgaris humoris. Cincinni autem ſunt in eo guttarum noctis. Noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum. Non illa ornamenta, ſed crimina ſunt: lenocinia formæ, non præcepta

Cincinni Nazaręorũ pulchrum uirtutũ nexum denotant.

uirtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum adſcendit, quos nemo præcidit: qui non calamiſtris compoſiti, & arte digeſti, ſed multiplici criſpantes uirtutum intentium gratia refulſerunt. Diſce in hiſtoria quales Nazaræus cincinnos habeat, quos quandiu Samſon habuit intactos nunquam uinci potuit. Cincinnos perdidit & meritum uirtutis amiſit.*

IDEM CAPITE PRIMO
libri ſecundi de Spiritu
Sancto.

Samſon

SAmson diuina promissione generatus, spiritũ comitatem habebat. Sic enim legimus: Quia benedixit eum dominus, & cœpit spiritus Domini comitari cum eo in castra. Et ideo futurum prævidens sacramentum, ex alienigenis poscebat uxorem: quod pater eius ac mater (ut scriptũ est) ignorabant, quoniam à Domino est. Meritoq; fortior cæteris habebatur, quia eum spiritus Domini dirigebat: quo duce solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inuiolabilis, fortitudine insuperabilis discerptum manibus diuidebat. Vtinam tam cautus ad seruandam gratiam: quàm fortis ad superandam bestiam. Et fortasse hoc non solùm uirtutis miraculum, sed etiam sapientiæ mysterium, prophetiæ oraculum fuit. Neq; enim ociosum uidetur, quod cùm tenderet ad mysterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei, quem manibus ille discerpsit, in cuius corpore, connubio potiturus optato, congregationem apum reperit, & mel sustulit de ore eius, quod patri edendum matriq; tribuit. Habebat gentium populus mella, qui credidit: qui populus feritatis erat antè, nunc Christi est. Nec ipsa quæstio uacat sacramentis, quam proposuit sodalibus suis, dicens: De edente exiuit esca, & de potente exiuit dulce. Denique eò usque mystica, ut tribus diebus eius reuelatio quæreretur,

Sãson Spiritus sanctã adiutus gratia, miranda patrauit.

Mel in corpore leonis repertum, gentium sapientiã significat, Christianis qui veram fidem edocti, ea recte vti nouerũt, etiã suauem.

quæ non potuit nisi per fidem Ecclesiæ, die septima completo legis tempore post paßionem Domini reuelari. Sic enim habes, quia & Apostoli ideo non intelligebant, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Quid, inquit dulcius melle, quid fortius leone? Ad quæ ille respondit: Si non domuissetis uitulam meam, non inuenissetis quæstionem meam. O diuinum mysterium, ô euidens sacramentum, euasimus interemptorem, potentem uicimus. Ibi nunc cibus uitæ est, ubi erat ante miseræ fames mortis. In salutem pericula: in suauitatem amaritudo conuertitur. Gratia ex offensione proceßit, potentia ex infirmitate, uita de morte. Sunt tamen qui econtrario putent fundari non potuiße coniugium, nisi occiso leone de tribu Iudæ. Et ideo in corpore eius, hoc est, Ecclesia apes repertas, quæ condunt mella sapientiæ, quia post Domini paßionem magis Apostoli crediderunt. Hunc igitur leonem Samson quasi Iudæus occidit, & in eo mel in figura redimendæ hæreditatis inuenit: ut reliquiæ saluæ fierent secundum electionem gratiæ. Et decidit, inquit, super eum spiritus Domini, & descendit in Ascalonem & percußit inde triginta uiros. Neque enim potuerat uictoriam non tenere, qui sacramenta cernebat. Accipiunt itaque in stolis præmium sapien-

tiæ,

tiæ, conuersationis insigne, qui absoluunt & renunciant quæstionem. Rursus hic alia oboriuntur mysteria, quod uxor eius aufertur, & ideo uulpes incendunt manipulos alienigenarum. Eos enim qui aduersus diuina sacramenta contendunt, decipere sua consueuit astutia. Vnde iterum dicit in Canticis canticorum, Prendite nobis uulpes pusillas exterminantes uineas, ut uineæ nostræ floreant. Bene pusillas dixit, quia maiores uineas exterminare non poterant, licet fortibus & diabolus sit pusillus. Ergo ille (ut compendium faciamus historiæ, suo enim tempori totius lectionis nostræ digestio reseruanda est) inuictus erat, quandiu habuit gratiam spiritalem, sicut Dei populus ille electus à Domino, ille Nazaræus in lege. Inuictus ergo Samson atque ita insuperabilis, ut in maxilla asinæ uiros mille percuteret: ita plenus gratiæ cælestis, ut etiam, aquam in maxilla asini sitiens reperiret: siue hoc ad miraculum conferas, siue ad mysterium uertas, quòd in populi foret humilitate gentilis & requies & triumphus. Iuxta quod scriptum est. Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Per hanc enim iniuriam patientiam, quam erudiunt sacramenta baptismatis, de quibusdã stimulis iracundiæ trium-

Qui aduersus Dei uoluntatẽ aliquid moliuntur suis decipiũtur sæpe consilijs.

Cant. 2.

triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur. Ille ne ergo Samson qui funes intextos neruis, qui nouas restes, sicut mollia fila dissoluit? Illene Samson, qui criniũ palo constricta defixo uincula nõ sentit quamdiu habuit gratiam spiritalem? Is inquam, posteaquam spiritus Dei discessit ab eo, longè mutatus ab illo Samsone, qui rediit Allophylorum indutus exuuias, in mulieris genibus uirtutis suæ degener, colligatus & captus, sacro crine tondetur. Tantum ne ergo momenti crines habuere capitis, ut manentibus his uirtus inuicta duraret, tonso autem capite, fortitudo omnis uiri subito solueretur? Non ita est, ut tantam uim corporalium capillorum putemus. Sunt quidam crines religionis & fidei. Crines Nazaræi intellige, perfecti in parsimonia, & abstinentia consecrati: quibus illa in typo Ecclesiæ, quæ Domini pedes oleo perfuderat, uerbi cælestis uestigia detergebat. Tunc enim & secundum carnem nouerat Christum. Isti uidelicet crines, de quibus dicitur: Capillatura tua ut greges caprarum, ex illo capite pullulantes, de quo dictum est: Caput uiri Christus. Et alibi: Caput eius aurum cephas & crines eius abietes nigræ. Et benè ex abiete sunt naues Tharsis, quæ fluctibus supernatent mundi, & tutum remigium salutis exhibeant. Vnde & in

Spiritus sancti gratia prauis morib. perditur.

Capilli Nazaræorum fidei, spei Charitatis cæterarũq; virtutũ societatem, quæ vitijs rescindi-tur, signifi-cant.

Cant. 4. & 5.

Euan-

Euangelio Dominus noster uisibiles capitis, & intelligibiles, capillos quosdam esse significans, ait: Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt, spiritualium uidelicet significans facta uirtutum. Neq; enim de capillis nostris cura est Deo. Quanquam & illud non absurdũ sit æstimare, quia pro maiestate diuina eũ latere nihil poßit. Sed quid mihi prodest, si Deus ipse omnes meos nouit capillos Illud mihi redundat & proficit, si bonorũ operum peruigil testis remunerationem gloriæ donet æternæ. Deniq; & ipse Samson non corporales, sed intelligibiles hos capillos esse declarans, ait: Si tonsus fuero, discedet à me uirtus mea. Hoc de mysterio.

IDEM SERMONE VNDEcimo in 118. Psalmum.

Quid sunt autem de quibus dicit, quòd paulominus consummauerunt eum in terra, nisi persecutores? De quorum uno ait Dominus Iesus: Ite dicite uulpi illi. Hoc est de Herode. Et alibi, Lucæ.13.
cùm se fraudulenter interrogari aduerteret, dixit Matt.8.
Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos, ubi requiescant, eò quòd fraudulenter in terrestrium paßionum quibusdam latibulis demorentur. Inde etiam Samson binas uulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces, & dimisit eas per messes Iudic.15.

Hęretici in terrestriũ passionum latibulis demorantes linguã ad gannienđum habẽt liberã, sed exitus impeditos & fraudis suæ incendio deputatos.

Allophylorum, per hanc figuram significans, quòd improbi ac fraudulenti homines, & maximè hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos: aut religiosa principia, finem verò fraudis suæ incendio deputatum. Ideoq; trecentas uulpes dimisit: eò quòd perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium eius tenere non possunt, qui hac prædicatione composita & falsa atq; simulata urere magis fructus conantur alienos: cum utiq; uera crux Domini non exurat aliena merita, sed fœcundet. Meritoq; scriptum est in Canticis cãticorum? Prendite nobis uulpes pusillas exterminantes uineas, ut uineæ nostræ floreant. Quo ostenditur quòd uel *Dominus Iesus, uel Ecclesia fraudulentorum dolos à uineis suis exterminatos esse præcipiant, ne pauxillulis uineis noceant, quia adultis iam uitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum.*

Cant. 2.

Hæretici ab ecclesia sunt exterminãdi ne simpliciores circumueniant.

IDEM LIBRO VII. COMMENTARIORUM IN LUCAM, CAPITE NONO.

Non habet ultionis studium perfecta uirtus: nec ulla sit iracundia ubi plenitudo est charitatis: nec excludenda infirmitas, sed iuuando.

Procul

Procul à religiosis indignatio, procul à magnanimis cupiditas ultionis, procul etiam à prudentibus inconsiderata cõmotio, & incauta simplicitas. Vnde & isti dicitur: Vulpes foueas habent nec obsequium eius admittitur, cuius nõ probatur officiũ. Circumspectum etenim fidei esse debet hospitium, ne dũ infidelibus nostra domus interna reseramus, in alienæ perfidiæ casses improuida credulitate labamur. Sed ne illud improuide pertерijsse uideamur, cur hic eos, qui poßint per manus impositionem immundis imperare spiritibus in nomine Iesu, neget esse prohibendos: secundum Matthæum aũt dicat his, Non noui uos, discedite à me omnes operarij iniquitatis: aduertere debemus non esse distantiam sensus, sententiarumq; discordiam, sed illud censeri, eò quòd non solùm officium in clerico, sed etiam uirtutis opera requirantur: tantumq; esse Christi nomen, ut etiam parum sanctis opituletur ad præsidium, etsi non opituletur ad gratiam. Vnde se nemo iactare debet, nec purgati hominis sibi gratiam uindicare, in quo æterni nominis uirtus, non aliqua poßibilitas humanæ fragilitatis operata sit. Non enim merito tuo diabolus, sed odio suo uincitur. Quod potest homo, synceram exhibeat fidem, & obseruantiã mandatorum religiosa mente custodiat, ne dicatur ei, Vulpes foueas habent.

Non sunt admittendi ad obsequia qui de fide suspecti sunt.

Matt. 7.

Christi nomen per improbos etiam ministros admiranda operatur.

habent. Fallax quippe animal, & insidijs semper intentum, rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil ociosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat. Hæreticis autem uulpes comparat. Denique cùm gentes uocet, hæreticos excludit. Vulpes enim plenũ fraudis est animal, foueam parans, & in fouea semper latêre desiderans. Ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non norunt, sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Iacob domum habitat, hæreticus in fouea est, ut fraudulenta uulpes gallinæ illi Euangelicæ dolum semper intendens, de qua scriptum est: Quotiens uolui cõgregare filios tuos sicut gallinæ pullos suos, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Meritò ergo foueas habent, quia domum quàm habuerant, perdiderunt. Hoc animal neque mansuescit unquam, unde & Apostolus ait: hæreticum post unam correptionem deuita, neque ulli usui est, aut cibo utile. Non enim de hoc dixit Christus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei, qui in cælis est. Quinetiam eas à fructibus suis relegat dicens: Capite nobis uulpes pusillas exterminantes uineas: hoc est quæ minorem uineam, non maiorem exterminant. Et ideò Samson ad caudas earum faces ligauit, & in segetes alienigenarũ dimisit, eò quòd hæretici

Hæretici ecclesiã nõ habentes, atq; in terrenarũ cogitationũ foueis latitantes, gallinæ illi Euangelicæ quæ filios sub alis suis cõgregat & fouet, semper insidiantur.

Ibid. 23.
Ad Tit. 3.
Ioan. 4.
Cant. 2.
Iudic. 15.

hæretici fructus incendere conantur alienos: latrantibus magis sonori, quàm uocibus expoliti. Qui enim uerbum negant, nec uocem habent. Ad præsens ore liberi, sed in futurum finem iam uicti, caudæ facibus significantes sui finis incendium. Volucres quoq; cæli, quæ frequenter ad nequitiæ spiritalis similitudinem deriuantur, ueluti nidos quosdam struunt in pectoribus improborum: & ideo filius hominis, quia abundauit iniquitas, non habet ubi caput suum reclinet. Etenim dominante uersutia cùm simplicitati locus nullus sit, nulla potest in affectibus singulorum diuinitatis esse possessio. Caput enim Christi Deus est: qui ubi mentem probarit innoxiam, supra ipsam quodammodo uim suæ maiestatis reclinat. Quod esse uidetur indicio, quia profusiore quadam gratia bonorum pectoribus inseratur.

Hæretici cùm nunquam mansuescant, uinea Domini sunt eijciêdi, & ad extremum incendio deputâdi.

HIERONYMVS LIBRO XIII. commentariorum in Ezechielem. Cap. 43.

NAzaræi sponte se offerunt, & quicunque aliquid uouerit, & non impleuerit, uoti reus est. Vnde & de uiduis dicitur: Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem,

Vota Deo reddenda. 1. Tim. 5. b.

nationem, quia primam fidem irritam fecerunt.
1.Reg.1. b *Melius est enim non promittere, quàm promittere & non facere.* Anna *obtulit* Samuelem *qui in æterna sanctitate permansit: et* Manue *obtulit* Samson
Iudic. 13. c *filium, sed sanctificationem capillorum eius* Dalilæ *libido turpauit.* Deniq; Dominus *recessit ab eo, & cæcitate damnatus est: nisi quòd postea crescētibus capillis pristinū robur accepit, & in typo* Christi *multo plures alienigenarum mortuus quam uiuus occidit.* Vult *autem* Dominus *sacerdotes suos capillos sanctificationis habere perpetuos, et operiri capita eorum: non aliquo extrinsecus uelamento, sed sua naturaliq; cæsariæ, non ad ornatum atq; luxuriam, sed ad honestatem.* Vnde *& capilli capitis* Apostolorum *numerati sunt, dicēte saluatore:* Vestri
Mat. 10. b *autem capilli capitis numerati sunt.* Illius *capitis, de quo in* Ecclesiaste *scriptum est:* Sapientis *oculi in capite eius.* Caput *autem uiri* Christus *est: quod*
1. Cor. 11. a *peccator conculcat & despicit, &, ut ita loquor, radit nouacula, & aufert eius pulchritudinem.*

Clerici virtutum cincinnis sunt ornandi.

IDEM LIBRO II. IN ILlud capitis VII. In omni facie confusio, & in vniuersis capitib. caluitium.

R*vbor uultus, pudoris indicium est: et conscientia*

tia peccatorum lucet in facie: spésque salutis est, quando delictum sequitur uerecundia. Vnde ad eam quæ corde duro in suis peccatis gloriabatur, dictum est: Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Caluitium quoque capitis, luctus est signum, quando perdit decorem cæsaries: & pulchritudinem comarũ amittimus. Deniq; & ad Hierusalē dicitur: Pro ornamēto capitis tui habebis caluitiũ, propter opera tua. Et alius propheta: Omnia, inquit, capita in omni loco attondentur: et omnis barba radetur. Michæas quoq; ad eandem Hierusalem: Decaluare, ait & tondere super filios deliciarum tuarum dilata caluitium tuum, sicut aquila. Et super mortuis iubetur fieri caluitum. Soli autem sancti, hoc est Nazaræi, & qui ad pontificatum Domini meruerunt peruenire non radunt capita sua. Neque enim habent mortis opera nec immundi sunt: quia Nazaræi: id est, sancti Domini sunt. Quod si iuxta eos quispiam mortuus fuerit, omnes dies pristini non reputabuntur sanctificationis eorum. Samuel Dei sanctus erat, & propterea æterna capitis ornamenta possedit: audiuitque illud de Cantico canticorum: Cincinni tui nigri sicut coruus. Porro Samson, quia perdidit comam, perdidit fortitudinem: paulatimq; renascentibus capillis, uires rediêre pristinæ: ut multò plures

Hier. 3. b
Esa. 3. d
Hiere. 49. f
Mich. 11. d

Nazaræi & sacerdotes cum vitijs merito carere virtutumq; cincinnis ornari debeant, sua non radũt capita.

Num. 6. d
Cant. 5. c
Iudic. 16. e

Virtutibus quæ cincinnis significantur deperditis homo hostiũ potestati oportet, ut cedat.

plures moriens, quam uiuens occideret. Helisæus *licet corporis haberet caluitium: tamen quia* Nazaræus Domini *erat, cincinnis capitis fruebatur.* Vnde *paruuli, quia paruuli erant, & nec dum ad ætatem uiri peruenerunt, illudentes caluitio eius atq; dicentes:* Adscende calue, adscende calue: *ferarum laniati sunt morsibus, quarum saltus ac syluæ sunt habitaculum.*

IDEM HOMILIA quarta in Cantica.

Cant.2. *Capite nobis uulpes pusillas, exterminantes uineas: & uineæ nostræ florebunt.* Secundum *dramatis ordinem mutata est persona: non enim iam ad sponsam, sed ad sodales loquitur sponsus: & ipsis dicit, ut capiant uulpes pusillas, quæ insidiantur uineis ubi primum germen ostenderint, nec sinunt eas peruenire ad florem.* Capi *ergo eas præcipit, saluti & utilitati consulens uinearum.* Sed *hæc, ut cœpimus spirituali expositione discutienda sunt.* Et *puto, quòd si de anima hæc, quæ se uerbo* Dei *coniungit aduertas, uulpes contrariæ potestatis & nequitiæ dæmonum intelligi debeant, per cogitationes prauas & intelligentiam peruersam, exterminantes in anima uirtutum*

Vulpes in singulis ho

tum florem & fructum fidei perimentes. Prouisio igitur uerbi Dei, qui est Dominus uirtutum, mādat angelis suis, quia ad ministeriū missi sunt propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: ut capiant ex unaquaq; anima huiusmodi cogitationes à dæmonibus immissas, ut abiectis eis possint florem uirtutis afferre. Capiunt autem cogitationes malas in eo, cùm suggerunt menti non esse eas à Deo, sed esse à maligno: & dant animæ discretionem spirituum, ut intelligat quæ sit cogitatio secundum Deum & quæ sit ex diabolo. Vt autē scias esse cogitationes, quas immittit diabolus in corde hominum: uide in Euangelio, quod scriptum est: Cùm autem immisisset, inquit, diabolus in cor Iudæ Iscariotis, ut traderet eum. Sunt ergo huiusmodi cogitationes, quæ à dæmonibus inijciuntur in cordibus hominum. Sed quia non deest diuina prouidentia: ne fortè per huiusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & non esset iusta causa iudicij: idcirco benignis angelis et amicis potestatibus hominum cura mandatur: ut cùm deceptores quasi uulpes incursare cœperint hominem, dextris eum auxilijs subleuent. Et ideo dicitur: Capite nobis uulpes pusillas. Competenter sanè cùm adhuc pusillæ sunt, capi eas mandat & comprehendi. Dum enim cogitatio mala in initijs est, facilè potest abijci à corde. Nam si

minibus sunt peruersæ cogitationes, quibus nisi tempestiuè resistatur virtutū germina præscindūtur.

Cogitatio mala si ala-

D fre-

frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum, & post consensum intra cor suum confirmatum, certum est, quia ad peccati tendat affectum. Dum ergo in initijs est, *& pusilla est, capi debet & abijci : ne si adulta fuerit & inueterata, iam non poßit expelli.* Denique *&* Iudas *initium mali habuit in amore pecuniæ.* Et *hæc fuit illi uulpes pusilla.* Sed *ab hac cum uideret* Dominus Iudæ *animam, quasi florentem uineam lædi, capere eam uolens & abijcere ex eo: commisit ei pecuniæ loculos, ut poßidens, à cupiditate eius, quod amabat cessaret.* Sed *ille utpote habens sui arbitrij libertatem, non est amplexus medici sapientiam: sed indulsit semetipsum illi magis consilio quo exterminabatur anima sua, quàm quo sanabatur. Si uerò hæc de* Christo *&* Ecclesia *intelligamus, sermo uidebitur ad doctores* Ecclesiæ *dirigi, & mandari eis de captione uulpium exterminantium uineas.* Vulpes *autem peruersos doctores hæreticorum dogmatum possumus intelligere, qui per argumentorum calliditatem seducunt corda innocentium, & uineam* Domini *exterminant, ne floreant in fide recta.* Datur *ergo præceptum doctoribus catholicis: ut dum adhuc pusillæ sunt istæ uulpes, & nondum plures animas deceperunt: sed initium habet*

tur, tandẽ ad consensum, & à cõsensu ad opus procedit.

Doctores catholici hæreticos mox vt se produnt, verbo veritatis debent refrenare.

bet praua doctrina, arguere hos & refrenare festinent, & uerbo ueritatis contradicentes, reuincere, & capere hos assertionibus ueris. Si enim permanserint in principijs, & indulserint, sermo eorum sicut cancer serpit, & fiet insanabilis: ut multi inueniantur, qui decepti ab eis, pugnare iam pro ipsis incipiant, & defendere suscepti erroris autores. Sic ergo pusillas dignum est uulpes capere, & dolosa hæreticorum sophismata, in ipsis statim initijs, ueris assertionibus confutare. Vt autem utriusque expositionis nostræ euidentior clarescat assertio, congregemus ex diuinis uoluminibus, sicubi animalis huius mentio facta est. Inuenimus ergo in sexagesimo secundo psalmo de impijs ita dici: Ipsi uerò in uanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes uulpium erunt. Sed & in Euangelio secundùm Matthæum saluator ad scribam, qui dicebat ei: Magister, sequar te quocunque ieris: respondit: Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos ubi requiescant: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Similiter autem & in Euangelio secundùm Lucam, ad eos qui dixerunt

Domino: Exi & uade hinc, quia Herodes uult tẽ occidere: respondit Iesus: Euntes dicite uulpi huic: Ecce ego eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & crastina, & in die tertia consumabor. In libro quoque Iudicum Samson, cùm uxor quæ erat ex genere Philistinorum ei fuisset ablata, ait ad patrem eius: Innocens sum ego hac uice ab Allophylis, quia faciam uobiscum mala. Et abijt Samson, & accepit trecentas uulpes, & accepit lampades, & ligauit caudam ad caudam, & posuit lampadem unam inter duas caudas uulpium & accendit ignẽ in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorum: & incendit omnes messes eorum, & stipulas eorum, & uineas eorum, & oliueta eorum. Adhuc autem in secundo libro Esdræ, ubi Tobias Animanita impediuit ædificationem eorum, qui de captiuitate redierant, ut ædificarent templũ & murum, ait ad Allophylos: Nunquid isti sacrificabunt aut comedent immolata in hoc loco? Nonne adscendent uulpes, & destruẽt murum ipsorum, quem ex lapidibus ædificant? Hæc sunt interim quæ ad præsens nobis ex scripturis diuinis occurrere potuerunt: in quibus animalis huius memoria facta est, ut ex his sapiens quisque lector prudenter poßit conijcere, si apta usi sumus expositione in his, quæ proposita sunt nobis ad explanandum id quod ait:

Capite

Capite nobis uulpes pusillas. Et quamuis operosum sit singula, quæ exempli causa assumpsimus explanare: tamē quæ poterimus breuiter contingemus. Et primò de sexagesimo secūdo psalmo uideamus, ubi cùm iusti animam persequerentur impij, ille psallebat, dicens: Ipsi autem in uanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes uulpium erunt. In quo utique ostenditur quòd uanis et inanibus uerbis praui doctores decipere uolentes animam iusti, introire dicuntur in inferiora terræ, terram utpote sapientes, & de terra loquentes: atque in inferiora eius id est in profundum stulticiæ descendentes. Puto enim quòd hi qui carnaliter uiuunt, quia sibi ipsis tantummodo noce... esse & in terra habitare dicuntur. Hi uerò, qui terrenis & carnalibus sensibus scripturas intelligunt, & alios ita docendo decipiunt, pro eo ipso quod argutias quasdā & argumenta carnalis & terrenæ sapientiæ concinnant, in inferiora terræ dicuntur ingredi. Vel certè quia grauiùs delinquunt, qui terrena docēt, quàm qui ita uiuūt: eis futura pœna etiam grauior imminet, idemq; ipsi in manus gladij tradendi prophetantur, illius fortaßis flammei & uersatilis. Quomodo autem & partes uulpium fiant, uideamus. Omnis anima aut pars est Dei, aut pars est cuiuscunq;

Hæretici in terrenis amfractib. latētes terram sapiūt & de terra loquūtur.

cuiuſcunque, qui accepit poteſtatem ſuper homines. Nam cùm diuideret Altißimus gentes, & diſpergeret filios Adam, ſtatuit fines gentium, ſecundum numerum Angelorum Dei, & facta eſt portio Domini Iacob. Cùm ergo conſtet unamquamque animam aut in parte Dei, aut in parte eſſe alterius cuiuſlibet: quoniam quidem per arbitrij libertatem, poßibile eſt unumquemque ex parte alterius tranſire, uel ad partem Dei, ſi melius (ipſo iuuante) elegerit: uel ſi nequius, ad dæmonum portionem: hinc horum mentio habetur in pſalmo: Qui in uanum quæſierunt animam iuſti, partes erunt uulpium: ueluti ſi diceret & peßimorum & nequißimorum dæmonum partes erunt ut unaquæq; maligna uirtus & doloſa per quam deceptiones, & fraudes falſæ ſcientiæ introductæ ſunt, figuraliter uulpes appellentur: & hi qui in hunc errorem deducuntur, & nolunt acquieſcere ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & doctrinæ quæ ſecundum pietatem eſt, ſed decipi ſe patiuntur à talibus: iſti talium partes uulpium fient, & introibunt cum eis in inferiora terræ. Ipſi ſunt & illi, in quibus ſecundum Euangelium uulpes iſtæ, quas ſupra memorauimus, foucas habere dicuntur, in quibus filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinat.

Hæretici & quotquot ipſis patrocinantes catholicos perſequũtur, ſunt ex ſocietate dęmonũ, & cum his æternas inferni pœnas luunt.

Hero-

Herodem quoque uulpem nominatum, pro fallaci calliditate, credendum est. Nam de Samson, qui trecentas uulpes cepisse, & colligasse per caudas, atque interiecisse lampades ardentes in medio caudarum, atque immisisse per messes Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliuetis uineisque memoratur, ualde mihi difficilis formæ huius uel figuræ uidetur explanatio. Tentemus tamen aliqua ex his pulsare pro uiribus: & ponamus (sicut expositio nostra in superioribus continet) uulpes esse fallaces peruersósque doctores. Hos Samson (qui ueri & fidelis imaginem tenet doctoris) capiens uerbo ueritatis, caudam ad caudam colliget, id est aduersantes sibi & diuersa à se inuicem sentientes, docentésque confutet: atque ex ipsorum uerbis propositiones collectionésque accipiens, in Allophylorum segetem, ignem conclusionis emittat: & ex proprijs eorum argumentis, omnes eorum fructus atque uineas & oliueta pessimæ generationis incendat. Sed & ipse numerus trecentarum uulpium, quæ à semetipsis diuersæ & dissonantes erant, triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum, aut in facto, aut in uerbo, aut consensu mentis admitti-

Doctor fidelis (cuius imaginem Samson repræsentat) fructus hæreticorum ex ipsorummet conclusionibus incendere debet.

admittitur. Verùm ne illud quidem, quod in secundo libro Esdræ scriptum diximus, penitùs omittendum est. Vbi cùm ædificarentur sancta sanctorum, id est cùm fides Christi & sanctorum eius mysteria conderentur: inimici ueritatis fideiq; contrarij (qui sunt sapientes huius sæculi) uidentes absque arte grammatica & peritia philosophica consurgere muros Euangelij, uelut cum irrisione quadam, dicunt perfacile, hoc posse destrui calliditate sermonum, per astutas fallacias et argumenta dialectica. Hæc interim (quantũ breuitas potuit pati) de assumptis exemplis dicta sufficiant. Nunc iam ad propositum reuertamur. Videtur ergo in cantico canticorum præceptum dari ab sponso, amicis sibi uirtutibus: ut capiant & arguant contrarias potestates, quæ insidiantur animabus hominum, ne exterminent eorum initia fidei, floremq; uirtutum sub specie secretæ alicuius & occultæ sapientiæ: quæ quasi uulpes in foueis, ita in his hominibus qui semetipsos ad hæc sectanda præbuerint delitescunt: & quò facilius confutari poßint & argui, dum paruæ sint uulpes ipsæ, & initia habent peßimæ persuasionis, capi iubentur. Nam si fortè creuerint, & maiores fuerint uulpes affectæ: iam nequeant ab amicis sponsi, sed ab ipso fortaßis sponso solo capi poterunt. Sed & sancti quique doctores

Hæretici (dæmonũ scilicet habitacula) ipsis initijs sunt reprimendi.

&

& magistri Ecclesiæ, sicut acceperunt potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, ita accipiunt potestatem etiam capiendi uulpes. Si enim data est potestas eius super omnem uirtutem inimici, una sine dubio ex cæteris inimici uirtutibus est uulpes, quæ exterminat uineas florentes: quæq; cùm adhuc parua est, capi iubetur: sicut & in centesimo septimo Psalmo, beatus dicitur qui tenet & allidit paruulos Babylonis ad petram, nec permittit sensum Babylonium crescere in semetipso, & augeri: sed cùm est in initijs, allidit eum & tenet ad petram, tunc enim facilè perimitur.

AVGVSTINVS LIBRO SEPTIMO QVAESTIONUM in historiam Iudicum. Quomodo præcipiatur matri Samsonis ne manducet quid immundum cùm priùs præceptum sit. Quæstio. 50.

QVæri potest quomodo dixerit Angelus ad matrem Samsonis cùm annunciaret ei filium futurum: quia sterilis erat. Et nunc obserua & non bibas uinum & siceram: non manduces omne immundum.

Iudic. 13. Ministerio Domini c[...] putādi fa[...] &a maior[...] disciplina

sunt continendi. *dum. Quid est enim immundum: nisi fortè dissolutio disciplinæ, quæ esse cœperat in Israël: & iam ad ea manducanda eos labefecerat quæ prohibuerat Deus in generibus animalium: Cur enim non credatur etiam hoc eos multò procliuius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgrediebantur?*

QVOMODO MATER Samsonis plura dicat sibi dicta ab angelo, quàm angelus legatur eidem dixisse. Quæstio. 51.

Iudic. 13. b

QVòd mater *Samsonis uiro suo indicans, quemadmodum illi angelus annunciauerit filium futurum, dixit.* Et *interrogabam eum, unde esset: & nomen suum non annunciauit mihi. Quæri potest utrum uerum dixerit: quoniam hoc non legitur, cùm ei angelus loqueretur.* Sed *intelligendum est, hoc ibi scripturam tacuisse: hic aũt cõmemorâsse, quod ibi tacuerat.* Illud *etiam quod non ait: interrogaui eum quod uocaretur, et nomẽ suum non anunciauit mihi: sed ait:* Interrogaui *unde esset: uidetur inconsequens quod addidit: & nomen suum non anunciauit mihi.* Non *enim nomen eius*

Scriptũra nó omnia, etiã in illis quæ cohærent, vno loco cõmemorat.

eius interrogauerat, cùm quæreret, unde esset, sed locum uel ciuitatem, cum hominem putaret: Nam & hominem Dei eum appellauit specie tamen uel habitu angelo similem: Hoc est, quia tam præclarum uidit sicut ipsa narrauit. Sed ita distinguatur: Et interrogabam eum, unde esset & nomen suum, ut subaudiatur, interrogabam eum: et postea inferatur: non annunciauit mihi: non habet quæstionem. Ad utrumq; enim referri potest, quod ait: non anunciauit mihi: id est nec unde esset, nec nomen suum.

QVOMODO ET PLVRA ET pauciora recitat eadem mulier, quàm audiuit. Quæstio. 52.

ITem quòd ait eadem mulier dictum sibi esse ab angelo: quoniam Nazaræus Dei erit puer, à uentre usque ad diem mortis suæ non legitur ab angelo dictum. Et quod legitur dictum: Ipse incipiet saluum facere Israël de manu Philistijm, non est à muliere cõmemoratũ. Itaq; et aliquid nõ dixit, quod audiuit, et tamen nihil credenda est dixisse, quod non audiuit: sed scriptura potius non omnia Iudic. 13. B

uerba

Nazaræi in veteri lege dicebãtur, qui vel perpetuò, vel ad tempus & certis quibusdam diebus alicui voto obstringebantur, sanctificabanturq́.

uerba angeli posuisse: cùm ipsum mulieri loquentem insereret narrationi. Immò autem dictum est à uentre usq; ad diem mortis suæ, quæ Nazaræi dicebantur in legē ad tempus qui uotum habebant: secundùm ea, quæ scriptura per Moysen præceperat. Vnde hoc est quod huic iussum est, ut ferrum non adscenderet in caput eius: & uinum & siceram nō biberet. Hoc enim tota uita sua obseruauit *Samson: quod illi qui uocati sunt Nazaræi certis diebus obseruabant: uouentes uotumq́; reddentes.*

QVOMODO MANVE Ignorauit: quia Angelus Dei est. Quæstio. 53.

Iudic. 13.

QVod dicit scriptura: Quoniam ignorauit Manue, quia angelus Dei est: manifestum est etiam eius uxorem hominem credidisse. Quòd ergo ei dixit: Vim faciamus tibi nunc: & faciamus in conspectu tuo hædum caprarum; tanquam hominē inuitauit: sed ita ut hoc cum illo æpularetur, quod sacrificium fecisset. Nam facere hædum caprarum non solet dici, nisi cùm fit sacrificium. Deniq; & ille ita respondit: Si uim feceris mihi non manducabo de panibus tuis: ubi ostendit se fuisse ad æpulas inuitatum. Deinde addidit: Et si feceris holo-

Facere hædum, est illum (iuxta proprietatem scripturæ) in sa-

holocaustum, Domino offeres illud. Vtiq; immò dixit: Si feceris holocaustum: quia ille dixerat: faciamus in conspectu tuo hædum caprarũ. Non autem omne sacrificium holocaustum erat: Nam de holocausto non manducabatur: quia totum incendebatur: & ideo uocabatur holocaustum. Scilicet angelus etiam non manducaturus holocaustum, potiùs fieri admonuit: non tamen sibi sed Domino: propter hoc maxime: quia gens Israël illo tempore consueuerat quibuslibet dijs falsis sacrificare: unde & tunc offenderat Deum, ut traderetur inimicis per quadraginta annos.

crificiũ offere, vnde etiam colligas sensum verborum Christi: Hoc facite in meã commemorationem.

QVOMODO VISO ANGElo dicunt se Deum vidisse: Quæstio. 54.

Qvid sibi uult, qui posteaquam manifestatus est Manue & uxori eius Angelus qui cum eis loquebatur, dixit idem Manue uxori suæ: Morte moriemur: quoniã Deũ uidimus, ex illa scilicet legis sententia: ubi scriptũ est. Nemo potest faciem meam uidere & uiuere. Opinabantur ergo ut homines Deum se uidisse: tanto utiq; miraculo facto, quo in igni sacrificij stetit, qui cum illis priùs quasi homo loquebatur. Sed Deum in angelo, an

Iudic. 13. b
Exo. 33. b

Deum

Deum ipſum angelum appellabant? Sic enim ſcriptum eſt: Et ſumpſit Manue hædum caprarum: & ſacrificiũ obtulit ſuper petram Domino mirabilia facienti: & Manue et uxor eius expectabant. Et factum eſt, dum adſcenderet flamma deſuper altare ad cælum, & adſcendit Angelus Domini in flamma: & Manue uxorq; illius expectabant Et ceciderunt ſuper faciem ſuam ſuper terram: & non appoſuit ultra Angelus Domini apparere ad Manue, & ad uxorem eius. Tunc cognouit Manue quoniam Angelus Domini eſt: & dixit Manue ad uxorem ſuam? Morte moriemur quoniam Deum uidimus. In his ergo uerbis quia non dixit: morte moriemur, quoniam Angelum Domini uidimus: ſed Deum uidimus, oritur quæſtio utrum in Angelo intelligebant Deum, an eundem Angelum Deum uocabant? Illud enim tertium quòd Deum putauerant, qui erat Angelus: dici non poteſt apertiſſimè dicente ſcriptura: Tunc cognouit Manue, quoniam Angelus Domini eſt. Sed unde metuebant mortem? non enim ſcriptura in Exodo dixerat: Nemo uidet faciem Angeli & uiuet: ſed faciem meam, cùm Deus loqueretur. An & in hoc ipſo quia Angeli præſentia Deum cognouerat Manue, ita perturbatus eſt, ut mortem timeret? Quid autem illi uxor ſua reſpondit: Si uellet Dominus mortificare nos,

te nos, non accepisset de manu nostra holocaustoma & sacrificium nec illuminasset nos ad omnia hæc, sed nec inaudita fecisset nobis hæc. Vtrùm ipsum Angelum crediderunt accepisse sacrificium, quia uiderunt eum in altaris flamma stetisse? An per hoc intellexerunt accepisse Dominum, quia hoc fecit Angelus ut se ostenderet Angelum? Quodlibet autem horum sit, iam tantùm Angelus dixerat. Si autem facis holocaustum, Domino offer illud, hoc est non mihi sed Domino. Quia ergo stetit Angelus in altaris flamma, magis significâsse intelligendus est, illum magni consilij Angelum in forma serui. Hoc est in homine quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum.

Christus in forma hominis in veteri testamento pijs hominib. se videndũ exhibuit. Esaiæ, 9. b

QVOMODO DICATVR Samson percusisse alienigenas tibiam super fœmur. Quęstio. 55.

Qvid est, quod dictum est, qui percußit alienigenas Samson tibiam super fœmur. Quis enim habet tibiã super fœmur, cũ tibia deorsum uersus non sit nisi à genu usq; ad talũ. Deinde si locum

Iudic. 15. b

si locum corporis significauit, ubi eos uulnerauit, nunquidnam omnes quos percußit in uno corporis loco fuerat uulneraturus. Quod si esset credibile, possemus forsitan suspicari eum pugnasse tibia alicuius animalis, tanquàm fuste: & ea illos super fœmora percußisse: sicut de illo scriptum est, qui maxilla asini mille occiderit. Sed neque illud, *ut dixi credibile est, qui pugnans unum tantum locum obseruauerit ubi eos percuteret:* Et *non ait scriptura, percußit eos tibia super fœmur, sed tibiam super fœmur.* Nimirum *ergo inusitata locutio facit obscuritatem.* Ita *enim dictum est, ac si diceretur: percußisse eos ualde mirabiliter: id est ut admirando stupentes tibiam super fœmur ponerent: tibiam scilicet unius pedis super fœmur alterius: sicut solent sedere qui mirando stupent.* Tanquam *si diceretur: percußit eos manum ad maxillam id est tanta cæde, ut manum ad maxillam tristi admiratione poneret.* Hunc *sensum ita se habere etiam interpretatio quæ est ex* Hebræo *satis edocet.* Nam *ita legitur.* Percußit *eos ingenti plaga: ita ut stupentes suram fœmori imponerent:* Tale *est enim ac si diceret: tibiam fœmori imponerent, quoniam sura utique retrorsus cum tibia est.*

Obscura est Augustino scriptura vt nostri hæretici venè laicis de earundem facili intelligentia blandiantur.

Quid

QVID SIT: NE FORTE occurrratis in me vos. Quæstio. 56.

Quid est, quod ait Samson uiris iudæ: Iurate mihi ne interficiatis me uos, & tradite me eius, ne fortè occurratis in me uos? Quam locutionem ita nonnulli interpretati sunt, ne fortè ueniatis aduersum me uos. Sed hoc cùm ne ab his interficeretur, dixisse illud indicat, quod in regnorum libro scriptum est, iubente Salomone, ut homo occideretur: & dicente: Vade occurre illi. Quod ideo non intelligitur: quia non est consuetudinis apud nos ita dici: Sic enim quod militares potestates dicunt: Vade alleua illum, & significat occide illum: quis intelligat, nisi qui illius locutionis consuetudinem nouit? Solet & uulgò apud nos dici: compediauit illi: quod est occidit illum. Et hoc nemo intelligit, nisi qui audire consueuit. Hæc est enim uis generalis omnium locutionum: ut quemadmodum ipsæ linguæ non intelligantur, nisi audiendo uel legendo discantur.

Scripturæ locutiones non intelliguntur nisi ab his qui illis asfueuerint vel studio didicerint.

IDEM LIBRO SECVNDO contra secundam Gaudentij epistolam, cap. 23.

Non omnia quæ in scripturis pij homines aliquando leguntur fecisse, sunt posteris imitanda.

Non itaq; debemus quicquid in scripturis, etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere: adhibētes iudicium, non sanè nostræ authoritatis, sed scripturarū diuinarū atq; sanctarum, quæ nos nec illorum hominum quibus illic bonum atq; præclarum testimonium perhibetur, omnia uel imitari uel laudare facta permittit: si quæ non rectè ab eis facta sunt, uel huic iam tempori non conueniunt: sed de his quæ tunc fuerant recta, nunc non sunt. Quid opus est aliquid in hac quæstione discutere, cùm hoc unde agitur, ut sibi quisq; inferat mortem: maximè cui conceditur, uel potius, qui compellitur uiuere in eis factis, quæ nec poterant unquam recta esse, nec potuerunt sicut satis iam demonstrauimus? Proinde quomodolibet accipiatur à uobis huius Raziæ uita laudata, non habet mors eius laudatricem sapientiam: quia nō habet dignam Dei, famulus patientiam: potiusq; huic uox illa sapientiæ, quæ non laudis sed detestationis est, competit: Vt his qui perdiderunt sustinētiam. Nam si laudatorum facta omnia creditis imitanda: nunquid melior est iste Razias quàm Dauid? Cur ergo eius factum de aliena uxore appetenda, eiúsque occidendo marito nullus bonus sibi proponit, sed potius cauendum atque uitandum?

Donatistæ ne Magistratuum legibus punirētur dicebant seipsos iustè, exemplo Raziæ, occidere. Ecclesi. 2. c 2. Reg. 11.

Nunquid melior est Razias, quàm Salomon? Pla-
cet ne ergo uobis, ut eius erga mulieres lasciuiæ,
quarum seductionibus usq; ad templa idolis fabri-
canda perductus est, imitandũ proponamus exem-
plum? Nunquid melior Razias, quàm Petrus apo- Matt. 16.c
stolus: qui ubi dixit: Tu es Christus filius Dei uiui
tam beatus à Domino appellatus est, ut claues
regni cælorum accipere mereretur: nec tamen ideo
creditur imitandus, ubi mox eodem momento re-
prehensus audiuit: Vade post me sathanas: non
enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Atq;
ut hæc taceam, quæ uoce apertißima sancta eccle-
sia scriptura culpauit, & ea dicam quantùm mo
dò ibi narrata atq; conscripta sunt: nec de his est
in alteram partem laudis aut reprehensionis lata
sentẽtia: sed quæ nobis iudicãda permißa sunt. Nũ-
quid melior Razias, quàm Noë? Quis autem illum Gene. 9.d
uirum, qui iacuit ebrius, laudauerit sobrius? Nun-
quid melior est Razias, quàm Iudas patriarcha?
Quis tamen eum approbet, cui placeat, quem
non rectißimè offendat in illa fornicatione? quan-
doquidem ad suam nurum quia hoc ignora- Gen. 38.e
uit, uerum etiam ad eam quam meretricem pu-
tauit ingressus est? Nunquid melior est Razias,
quàm Samson? Audete itaque dicere si potestis: Iudic. 16.d
illud quod in crinibus habuit uirtutis magnum

Samſon diuinitùs iuſſus eſt ſeipſum occidere, ad maiorem cũ ſui, tum Dei gloriam.

diuinumq́; ſecretum, blandienti mulierculæ fuiſſe prodendum? Nam illud quòd cum inimicos occidit & ſeipſum, quando ſuper ſe atque illos deiecit domum: iam quam mox ab eis fuerat perpeſſurus mortem communem uoluit cum illis habere: quia non poſſet euadere. Quòd quidem non ſua ſponte fecit, ſed hoc ſpiritui Dei *tribuendum eſt: qui uſus eſt eo ut faceret, quando illi affuit quod facere non poterat, quando idem ſpiritus defuit.* Sicut

Gen. 22.

Abrahæ factum, quando filium uoluit immolare: quod Deo *iubente fuit obedientia:* Deo *non iubente, quid fuit niſi dementia?*

IDEM DE SAMSONIS FORtitudine in capillis cap. VI. lib. II. de mirabilibus ſacrę ſcripturę.

Iudic. 13.

Angelus prophetali habitu apparens demonſtrat Deum per naſcituri

ITerum cùm Philiſtæis *ſeruiret* Iſraëlitica *plebs Manue filij Saruch de tribu* Dan, *ſterili uxori primò: deinde ipſi* Manue Dei *Angelus prophetali habitu apparuit: eoſq́; de filio, qui eis eſſet naſciturus, qualiter fieret educandus edocuit: quodúe nunquam nouacula caput eius tranſiret: & Ciceram & uinum & omne quod inebriare poteſt, non biberet.* Cui cùm Manue *neſciens eſſe* Angelum,

prandium

prandium uoluisset præbere: Angelus, inquit: De cibis tuis non comedam, sed Domino si uis holocaustum compone, Quod cùm Manue illo præcipiente composuit: cum igne holocausti coram eis statim Angelus in cælum adscendens demonstrauerat, qui per nascituri hominis fortitudinem Deus populi liberationem parauerat. Natus igitur Samson, iuxta imperium nutritus: maximam fortitudinem in septem sui capitis crinibus habuit. Quod pro certo probatum est, dum eisdem nudatus aliquãdo etiam uirtutem amisit. Nam cum Dalilam in ualle Sorecti mulierem, de regno Phylistinorum, alienigenam adamaret: & illa pecuniam à Philistinis principibus acceperat, pro quibus multa fecerat, perditionis eiusdem mercedem accepisset: ipse poscenti fortitudinis suæ mysteria in capillorum suorum conseruatione fieri indicauit. Et illa dormientis in sinu suo, uocato rasore caput totõdit. Perductusq; Samson à phylistæis, oculis orbatus, molam manu uertebat: donec capilli illius ad priorem longitudinem creuerunt. Deinde Phylistæis æpulantibus: ut inter æpulas Samson illuderetur, adducitur: & ipse puero retinenti gressus dixerat: ut se ad duas columnas perduceret: quibus tota domus imminebat: quatenus super illas ueluti lassus reclinaret. Quib. ambabus utraque manu apprehensis, inuocato auxilio

hominis fortitudinem, populi liberationẽ parare.

Iudic. 16.

Samsonis fortitudo nō tam ex insensibili capillo, quàm ex supernaturali Dei dono quod obseruatio ne mandati conseruabatur, pendebat. Iudic. 13. a

auxilio Domini totam domum concußit Quæ citò corruens, tria Phylistinorum millia pariter, cum ipso Samson prostrauit. Sed naturas inuestigantibus solutionē non minima incutit:quomodo totū sensibile corpus in insensibili capillo motum fortitudinis habuit:cuius damnū doloris sensum nequaquam intulit: cùm illum tonsor à reliquo corporis ferramenti aculeo diuisit. De Samson ergo priusquam nasceretur, à Domino præcipitur ut capillus illius nunquam ferri acumine alicuius à tali tonderetur. Quàmdiu igitur in mandati diuini custodia permanserat, spiritusſancti munere maximam fortitudinem habebat. Vnde cùm muliebri persuasione præcepti Dominici transgreßionem adinuenit, etiam spiritale fortitudnis donum quod habuerat, statim receßit: Non insensibili capillo oßium, & carnis & sanguinis: qui nihil ex his habent inerāt, sed mandati Dominici obseruatio donum fortitudinis, obseruabat. Sed fortaſſe aliquis diceret: Quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius succreuit, si non in capillis priorem fortitudinem habuerit? Attamen in hac uita, non in tam longo capillo amiſſam uirtutem recuperabat: quā donum speciale, quod negligēs amisit, afflictus pænitentia crescentibus capillis paulatim impetrabat: præsertim cùm in huius mādati transgreßione ex parte

Sāson non tam propter recrescentes capillos fortitudinem recuperauit, quam per pœnitentiam afflictus denuo impetrauit.

ex parte licet aliqua excusabitur, quamuis suæ uirtutis Dalilæ petenti mysteriũ suũ non negauit: Nõ tamẽ se imperãte uel cõcedẽte uel sentiẽte tõdetur: Vnde afflictus paulatim à Deo impetrabat faciliùs, quod non sponte sed dormiens seductus amittebat.

IDEM CONTRA FAVstum Manichęum lib. XII. cap. XXXII.

QVis erat in Samson obuium, leonem necãs, cùm petendæ uxoris causa ad alienigenas tenderet, nisi qui Ecclesiam ex gentibus uocaturus dixit: Gaudete quia ego uici sæculum? Quid sibi uult in ore ipsius leonis occisi fauus extructus? Nisi quia ecce conspicimus leges ipsas regni terreni, quæ aduersus Christum antè fremuerant, nunc iam perempta feritate dulcedini Euãgelicæ prædicandæ etiã munimẽta præbere? Quæ est illa mulier plena fiduciæ, hostis tẽpora, ligno transfigẽs, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens.

Imperatores qui legibus olim Christum oppugnabant, tandem pijs constitutionibus latis eiusdem honorem tueri cœperunt.

IDEM IN PSALmum LXXX.

MVlti ergo hæretici cum paganis alios et alios Deos ipsi sibi finxerunt, alios & alios Deos sibi ipsi fecerunt: & eos etiam si non in templis: tamen quod peius est in suo

Hæretici reuera sunt idololatræ & ipsamet idolorum templa.

suo corde posuerunt: & falsorum ridendorumq́; simulacrorum templa ipsi facti sunt. Magnum opus *est intus hæc idola frangere: & locum* Deo *uiuenti non recenti mundare.* Omnes *enim isti aliud & aliud sentientes: alios atq; alios* Deos *sibi facientes ipsamq́; fidem falsitate uariantes uidentur dissentire: sed omnes à terrenis cogitationibus non recedunt: in terrenis cogitationibus cõsentiunt sibi.* Opinio *diuersa est, uanitas una est.* De *illis in alio*

Philip. 3. *psalmo dicitur:* Ipsi *de uanitate in unum colligantur.* Quamuis *opinionum uarietate discordent, simili tamen uanitate colligantur.* Et *nos quia uanitas retrò est: posterior est:* Immo *ille quæ retro oblitus est: id est uanitatem oblitus: in ea quæ anteà sunt: id est in ueritatem extensus: sequitur ad palmam superne uocationis* Dei *in* Dhristo Iesu. Ergo *in peiùs sibi isti consentiunt: quamuis dissentire à*

Iudic. 15. *se inuicem uideantur.* Ideo Samson *caudas uulpiũ colligauit.* Vulpes *insidiosos maximéque hæreticos significant dolosos, fraudulentos: cauernosis anfractibus latentes & decipientes: odore etiam tetro putentes.* Contra *quem odorem dicit* Aposto*lus;* Christi *bonus odor sumus* Deo *in omni loco.* Istæ *uulpes significantur in canticis canticorum: ubi dicitur:* Capite *nobis uulpes pusillas exterminantes uineas latentes in cauernis tortuosis:* Ca-

Vulpes insidiosos omnes, maximè tamen hæreticos, tetro odore putentes, significant.

2. Corin. 2.

pite

pite nobis: conuincite nobis. Capis enim eum quem de falsitate conuincis: Contradicentibus denique uulpeculis Domino, & dicentibus: In qua potestate ista facitis respondete mihi & uos inquit unum sermonem: Baptismus Ioannis unde est? de cælo an ex hominibus? Vulpes autem solent habere tales foueas, ut ex una parte intrent, & ex alia parte exeant. Ad utrunq; foramen captor uulpiũ retia posuit, Dicite mihi, de cælo est, an ex hominibus? Sentiunt illi eum ex utraque parte tetendiße unde caperet, & aiunt apud se. Si dixerimus, inquiũt, de cælo, dicturus est nobis quare ergo non credidistis Ille enim testimonium Christo perhibuit: Si dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia ut prophetã eum habent. Sentiẽtes ergo hac atq; hac esse unde caperentur, responderunt. Nescimus. Et Dominus, Nec ego uobis dico in qua potestate ista facio. Vos dicitis uos nescire quod scitis, ego uobis nõ dico quod quæritis, quia ex nulla parte exire ausi estis, in uestris tenebris remansistis. Obtemperemus ergo & nos, si possumus dicenti uerbo Dei. Capite nobis uulpes pusillas exterminãtes uineas, uideamus si & nos quasdam uulpeculas capere possumus, proponamus ad foramen utrunque, ut unde uulpes exire uoluerit, capiatur (uerbi gratia) Manichæo facienti sibi Deum recentem & in

Mat. 21.

Vulpes & hæretici cũ eiusmodi sibi cauernas parare soleant, vnde pluribus partib. effugere possint, vndiq; si eas capere velis obijcienda sunt retia.

Ibidem.

Canti. 2.

corde suo ponenti, quod non est: dicamus & inter rogemus eum: Substantia Dei *corruptibilis est, an incorruptibilis* Elige *quod uis.* Exi *qua uis: sed non effugies.* Si *dixeris corruptibilis, non à populo sed à te ipso lapidaberis.* Si *aũt dixeris incorruptibilẽ* Deũ, *incorruptibilis quomodò timuit gentẽ tenebrarum? Quid factura erat incorruptibili gens corruptionis? Quid restat, nisi ut dicatur: nescimus.* Sed *tamẽ si hoc nõ dolo, sed ignorãtia diciur: non remaneat in tenebris, ex uulpe fiat ouis:* Credat *inuisibili, incorruptibili, soli* Deo, *non recenti. Soli ab eo quod est solus, non ab eo quod est sol: ne mo nos ipsi uulpi fugienti aliam cauernam aperu isse uideamur. Quanquam nec nomen solis formidabimus.* Est *enim in scripturis nostris sol iustitiæ : & sanitas in pennis eius.* Ab *æstu sol huius umbra appetitur.* Sub *alas autem solis huius ab æstu fugitur.* Sanitas *enim in pennis eius. Iste est sol, de quo dicturi sunt impij.* Ergo *errauimus à uia ueritatis & iustitiæ lumen non luxit nobis & sol non est ortus nobis, quia cùm adorent solem, quem facit oriri super bonos & malos, non est eis ortus sol, qui solos illuminat bonos,* Faciũt *ergo sibi* Deos *recentes, quiq; quales uolunt. Quid enim impedit officinam decepti cordis fabricare phantasma quale uoluerit? Sed omnes hi in posterioribus*

Math. 21.
Malach. 4.
Sap. 5.
Matt. 5.

bus consentiũt, id est, simili uanitate detinẽtur. Vnde Sãson noster, qui etiã interpretatur sol ipsorũ, eorum scilicet quib. lucet, non omnium, sicuti est oriens super bonos & malos sed sol quorundam, sol iustitiæ, figuram enim habebat Christi, colligauit ut dicere cœperam caudas uulpium & ibi ignem alligauit. Ignem ad incendendũ, sed messes alienigenarum. Proinde tales consentientes in posterioribus tanquam caudis colligati, trahunt ignem corrumpentem, sed non incendunt nostrorum segetes. Nouit enim Dominus, qui sunt eius, & recedit ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. In magna autem Domo non solum sunt uasa aurea & argentea sed & lignea et fictilia. Et alia quidẽ sunt in honorem alia uerò in contumeliam. Si quis autem mundauerit se ab huiusmodi, erit uas in honorem. utile Deo, ad omne opus bonum paratum. Et ideo nec caudas uulpium nec facies uulpium pertimescet.

Hæretici omnes aliud & aliud sentiẽtes, tametsi capitibus dissentire uideantur, in extremis tamen simili terrenarũ cogitationũ vanitate & mendacio quibus omnia inflammant, colligantur.

2. Timo. 2

Ibidem.

IDEM TOMO X. SERMONE CVII. de tempore Dominica in paſsione Domini.

SAmson fratres dilectißimi qualẽ fortitudinem habuerit de gratia dei, nõ de natura propria iã audistis. Nã si fortis esset natus, cũ ei capillus diminuere-

Samſon eximia illa fortitudo non fuit ei naturalis, ſed Sãctiſ ſimi munere cõceſſa.

nueretur, fortitudo nõ adimeretur. Et *ubi erat illa potẽtiſsima fortitudo, niſi in eo, quod ſcriptura dixit. Incedebat cum illo ſpiritus* Domini. Ad Domi*ni ſpiritũ pertinebat illa fortitudo. In* Samſon *uas erat, in ſpiritũ plenitudo erat. Vas impleri et exinaniri poteſt. Videamus ergo* Allophylis *qualẽ parabolam Sãſon propoſuit.* De *mãducante, inquit, exiuit cibus et de forte eſt egreſſa dulcedo. Prodita eſt hæc parabola delata eſt ad amicos, ſoluta eſt, uictus eſt Sãſon,* Hic *ſi iuſtus eſt, latet ualde, & in profundo eſt uiri huius iuſtitia.* Nam *& quòd legitur, uictus blanditijs muliebribus, & quòd ad meretricẽ intrauerit, uidete huius meritum uacillare minùs intelligentibus ſecreta ueritatis.* Requiramus *fratres chariſsimi quid ſignificauerit uictus, quid figurauerit uirtus, quid ſignificauerit cedens blanditijs muliebribus, quid ſignificauerit prodens ſecretum parabolæ, quid ſignificauerit intrans ad meretricem, quid ſignificauerit uulpes capiens, & per caudas uulpium quibus ignem alligauit inimicorum fructus incendens.* Quos *quidem fructus de compendio incendere potuit, ſi non in uulpibus myſterium cogitaret.* Nunquid *ſtipula arida ardere non potuit, niſi ignẽ per eam uulpes traxiſſent?* Intelligamus *ergo fratres chariſsimi grandia hic latere myſteria quæ uiderat. Samſon fratres chariſsimi.*

Iudic, 15.

rissimi Christum significabat. Verum mihi dicere uideor, sed continuò occurrit cogitātibus, Et Christus uincetur blanditijs muliebribus. Et Christus quomodò intelligitur ad meretricem intrare potuisse. Deinde & Christus capite nudatur, capillo raditur, uirtute spoliatur, alligatur, excæcatur, illuditur? Euigila fides, attende quid sit Christus, non solùm, quid fecerit, sed etiam quid passus est Christus. Quid fecit? Operatus ut fortis, passus est ut infirmus. In uno intelligo utrumq; uideo fortitudinem filij Dei: uideo infirmitatem filij hominis. Accedit & aliud: quia Christus totus, quomodo eum scriptura commendat, & caput & corpus est. Sicut Ecclesiæ caput est Christus, ita Christi corpus Ecclesia est. Habet ergo Ecclesia in se fortes. habet infirmos, habet iustos, & habet iniustos. Modò enim corpus Christi, quod iustis area est, postea horreum erit. Tamen cùm area est, non recusat paleas sustinere. Cùm tempus aduenerit reponet triticum & à paleis segregabit. Quædam ergo fecit Samson ex persona capitis: quædam ex persona corporis: totū tamē ex persona Christi. In eo enim quòd uirtutes & mirabilia operatus est, Samson caput Ecclesiæ Christi significabat: in eo autem, quòd prudenter fecit, illorum qui in Ecclesia iustè uiuunt, imaginem gessit. Vbi fortè præuentus est, & incautè

Samson Christum totum ut scilicet, caput & corpus, quod est Ecclesia significat, nobis repræsentat.

Sāson quædam fecit ex persona capitis, quædā ex persona corporis.

incautè egit, eos qui in Ecclesia peccatores sunt figurauit. Meretrix quam Samson in coniugium sumit Ecclesia est: quæ ante agnitionem unius Dei cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit: posteaquam ab eo illuminata fidem suscepit, etiam hoc meruit, ut per eum salutis sacramenta cognosceret: & ab eodem reuelarentur ei mysteria cælestium secretorum. Nam quæstio ipsa quæ continet. De edente exiuit cibus, & de forte est egressa dulcedo. Quid aliud significat quàm Christum à mortuis resurgentem? De edente utiq;, id est, de morte quæ cuncta deuorat atq; consumit, exiuit cibus ille, qui dixit. Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendit, quem humana exacerbauit iniquitas: eiq; aceti & fellis amaritudinem propinauit: atq; ab eo plebs gentium uitæ dulcedinem, conuersa, suscepit ac sic de mortui leonis ore: id est de Christi morte qui accubans dormiuit ut leo: apum, id est Christianorum processit examen. Quod aūt dicit. Non inuenissetis propositionē meã, nisi arassetis in uitula mea: hæc uitula, id est, Ecclesia reuelata sibi à uiro suo secreta fidei mysteria, trinitatis, resurrectionis: iudicij pariter & regni, in fines terræ, Apostolorum & sanctorū doctrina et prædicatione, uulgauit & intelligētib. atque cognoscentibus æternæ uitæ præmia repromisit.

Ioan. 6. Problema Samsonis fructū mortis Christi significat.

Iudic. 14. Vxor Samsonis Ecclesiam figurat.

misit. Sequitur autem. Iratus est Samson, quia duxit sodalis eius uxorem eius. Sodalis iste omnium hæreticorum figurã gessit. Magnũ secretũ est fratres mei. Nã hæretici, qui Ecclesiã diuiserũt, uxorẽ Domini sui ducere & abducere uoluerũt. De Ecclesia enim & de Euangelijs exierunt: qui impietatis adulterio Ecclesiam id est Christi corpus in partem suam conantur inuadere. Vnde fidelis ille seruus & amicus Dominicæ sponsæ loquitur. Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Videamus mysterium, iste Samson quid fecerit offensus. Cepit enim uulpes, id est, adulterantes sodales, de quibus dicitur in cantico cãticorum. Capite nobis uulpes paruulas exterminãtes uineas. Quid est capite? Id est, comprehendite: cõuincite: confutate, ne exterminentur Ecclesiasticæ uineæ. Quid est aliud uulpes capere, nisi hæreticos diuinæ legis authoritate reuincere: & sanctarum scripturarum testimonijs uelut quibusdã uinculis alligare atq; constringere? Vulpes capit: ligatis caudis ignem apponit. Quid sibi uolunt caudæ uulpium colligatæ? Caudæ uulpium quid sunt, nisi posteriora hæreticorũ: qui prima habẽt magna et blanda et deceptoria opera, posteriora ligata, id est dãnata, & ignem in fine trahentia, ut eorum fructus & acta consumãt, qui suis seductionibus acquiescunt. Quid autem intrauit

Hæretici sponsam Christi Ecclesiam ad se conantur pertrahere.

2. Cor. 11.
Iudic. 15.

Canti. 2.

Vulpes capere est hæreticos diuinæ legis autoritate constringere.

Hæretici, & quæcũq; eorũ sunt, tandem incendijs deputantur.

Iudic. 16.

intrauit ad meretricem: si sine causa fecit, quicunq; fecit: immundus est. Si non ita intrauit, ut coucūberet, mysterij causa fortaßis intrauit. Sed concubuisse non legimus. Sequitur: Inimici uerò expectabant ad portas ciuitatis, ut comprehenderent eum, cùm de meretrice ad quam intrauerat fuisset egressus. Ille autem dormiebat. Videte quēadmodum non scriptum est: quia mixtus est meretrici: sed scriptum quia dormiebat. Vbi surrexit, inquit, media nocte exijt: abstulit portas Ciuitatis ipsius cum seris, & easdem portas in cacumine montis posuit. Ab Allophylis teneri non potuit: portas ciuitatis quibus ad meretricem intrauit abstulit: & in montem leuauit. Quid est hoc? Infernum & amorem mulieris, utrunque scriptura
Prouer. 30. coniungit. Inferni ignem tenebat domus meretricis. Pro inferis ponitur domus meretricis. Rectè pro inferis ponitur: quia neminem repellit: omnem intrantem ad se trahit. Agnoscimus hoc loco re-
Mat. 27. demptoris nostri opera. Postquam synagoga ad quam uenerat à se per diabolum separàta est: posteaquam eum decaluauit: id est in loco caluariæ crucifixit: ad inferna descendit: & inimici custodiebant locum dormientis id est sepulchrum, & capere uolebant, quem uidere non poterant. Ille autem dormiebat ibi, hoc ideo dixit, quia uerē

mortuus

mortuus erat. Et quòd dictum est, Media nocte surrexit: hoc significauit: quia in secreto surrexit. Aperte enim passus est: solis autē discipulis & certis quibusq; resurrexisse manifestus est. Ergo quòd intrauit, omnes uiderunt, quòd surrexit, pauci cognouerunt: tenuerunt & palpauerunt. Tollit tamen portas ciuitatis: id est, aufert portas inferni. Quid est portas inferni tollere: nisi mortis imperium remouere? Recipiebat enim non remittebat. Quid aūt fecit Dominus Iesus Christus? Ablatis portis mortis: adscendit in cacumen montis. Nouimus eum & resurrexisse: & in cælos adscendisse. Quid est autem quòd & in capillis uirtutē habebat? Et hoc fratres diligēter aduertite. Virtutem non habuit in manu non in pede: non in pectore: non in ipso capite: sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli quid comæ Et nos uidemus: & interrogatus Apostolus, respondet nobis. Coma uelamentum est. Et in uelamento Christus habebat uirtutem: quando umbræ ueteris legis eum tegebant. Coma ergo Samson in uelamento erat: quia in Christo aliud uidebatur: & aliud intelligebatur. Quid sibi autem uult, quòd proditum est secretum: & decaluatus est Samson: contempta est lex & passus est Christus: Christum enim non occiderent: si legem non contempsissent. Nam nouerant & ipsi, quia eis Christum non licebat occidere

Sāson peracto somno auferēs portas ciuitatis in mōtem, Christum à morte resurgētem atq; in cælum ascēdentem significat. Actuum. 1. Iudic. 16. Capilli quibus tegitur Samson, uelamē legis est, quo tegitur Christus, & vnde eius corpus, Ecclesia fortitudinem etiā accipit, & vim qua sua a mysteria aduersùs hostes defendit. 1. Cor. 11.

 dere

Ioan, 18.

dere. Dicebant iudici. Nobis non licet occidere aliquem. Decaluatus est Samson, reuelata sunt condensa: remotum est uelamentum: & Christus, qui latebat apparuit. Capilli autem rediuiui caput iterum uestierunt: quia Iudaei nec resurgentẽ Christũ agnoscere uoluerunt. Fuit quidẽ in molendino: fuit cæcatus: fuit in domo carceris. Domus carceris uel molendinum, labor est huius sæculi. Excæcatio aũt Samson illos indicat, qui infidelitate cæcãt Christũ: nec uirtutes operantẽ, nec adscendẽtem ad cælestia cognouerunt. Cæcitas ergo Samson, quam intulerunt: cæcitatem Iudæorũ significabat. Christus aũt à Iudæis & cõprehensus est, & occisus. Adduxerũt ergo eum inimici, ut illuderẽt ei. Iam hic imaginem crucis attendite. Expansas enim manus ad duas columnas, quasi ad duo ligna crucis extendit: sed aduersarios suos interemptus oppreßit: & illius paßio interfectio facta est persequentium. Et ide ó scriptura concludit: Plures mortuus occidit: quã uiuus occiderat. Nam hoc mysterium in Domino nostro Iesu Christo impletum est. Redemptionẽ nostram quam ipse uiuens minimè celebrauerat, mortuus consummauit. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.

Carcer in quo Sãson ad molam est exagitatus huius sæculi ærũnas, quibus ad tempus Christus fuit subiectus, denotat.

Samson expansis manibus ad columnas occũbens Christi mortem expresit.

Aliorum

Aliorum ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſententias ſubijceremus, niſi nimiũ eſſe prolixi metueremus, & quæ ipſi tractant ferè ſuperioribus ſententijs concluſa uideremus. Si quis tamen ex Gregorio, qui inter quatuor Eccleſiæ doctores poſtremus eſt aliquid repoſcat, eundem conſulat libro quinto commentariorum in Iob capite 22. Libro item 13. capite 8. Ad extemum libro 29. capite ſeptimo.

Magnam inclyti, uiriq; Principes, genus
Quos splendidũ altè sustulit, uim censuit
Inesse imaginibus uetustas fortium
Heroum. Alexandri excitatus imagine
Dictator ille Cæsar, ingemiscit, &
Maiora concipit animo: indignum ratus,
Aetate prouecta uirum non assequi
Trophæa iunioris. Typusúe insensilis
Mutumq; simulachrum poterit addere animos,
Iterq; uirtuti parare, & non idem
Imago uiua præstiterit? Agite igitur,
Qui fertis inuicti leonis symbola,
Almanico & qui ducitis genus. Hercule,
Vestra domo recipite Iudæum Herculem.
Is ingredi nunc tentat, agnoscit suæ
Virtutis æmulos Bauariæ Principes,
Quod fulgidi instar solis usq; splendeant,
Fortißimeq; religionem protegant.
Sed periocham Tragœdiæ paucis dabo.
SAMSON dolis ut coniugis falsus fuit,
Segetes perußit omnium Phylistym.
Quod uindicare dum appetunt bellum excitant
Crudele Iudæ posteris. Isti uident,
Non posse sustinere se illorum impetum,
Hinc uindicem tradunt sui soli hostium
Libidini: Qui spiritu Dei excitus,

Funes

Funes quibus uinctus fuit, rupit citò.
Totasq; maxilla cohortes militum
Fudit asini. Venit dehinc Gazam inclytam.
Hic hostium ut sensit dolos, noctu abripit
Vrbis fores. Deinde sese contulit
Ad Dalilam, quam ardebat admodum. rati
Factu optimum, inde principes Philistym
Corrumpere hanc pecunia, Quod ut fuit
Factum, dolos struxêre clancularios
Samsoni. At ille identidem elusit suam
Tum Dalilam, tum hostes simul. Tandem incidit
Per fœminæ fraudes paratis caßibus.
Tractus deinde Gazam amisit lumina.
Hinc apparant festiuitatem principes
Dagon Deo Philistym, auctori nouæ
Vt iudicant uictoriæ. Samsonq; ea
Exceptus est risu miser quàm maximo,
Quod non ferens poposcit à Deo sibi
Vim pristinam reddi. Et repetijt de hostibus
Pœnas graues, uersa Dei Dagon domo.
Vos cætera actione discite, & date
Quæso silentium, ut quietè absoluere
Detur, beneuolè quod damus nunc omnibus.

PERSONAE DRAMATIS.

GAual ſocer Samſonis.
Carob Thimnæus.
Alluph Satrapa Gazæ.
Iccar Agricola.
Soter præfectus ſatellitum.
Anog famulus.
Samſon.
Boſenas ſatrapa Aſcalon.
Catſin
Atſil } tribuni militum plebis Iſraël.
Baar ſatrapa azoti.
Milites Palæſtinorum.
Netſib ſatrapes Geth.
Sobæa famula Dalilæ.
Nochel leno.
Dalila meretrix.
Chabed ſatrapes Acca ron.
Hophſi puer Samſonis.
Gebeth ędituus fani Dagon.
Cohen archiflamen Dagon.
Cętus Palęſtinorum.
Achioſez.
Chorus.

GAVAL.

GAVAL SOCER SAMSONIS.

O Rector & dux temporum, qui ortu tuo
Orbem serenas, resq; cunctas excitas,
Quàm ingratum, & infaustum iubar misisti eo
Terris die, quo ingressus est Samson meam
Domum, relinquens patrios focos. Nam ubi
Hic impetrauit nuptias gnatæ, nihil
Nisi malum inuexit meum in genus, ferens
Angustias augustijs, malaq; malis
Cumulans. Is ipso nuptiali prandio
(Nec distulit odium diu.) struxit dolos
a Vel pronubis, ænigma proponens eis
Durum atq; difficile, quod intra septimam
Lucem resolui oportuit, si præmium
Et gloriam, sodalium expeteret cohors.
Vt ergo quæstionem aperiant se occupant
r Triduo integro, nec promouere se uident
Hilum, meam aggrediuntur inde filiam,
Mulcendo eam sermonibus suauibus,
Hortando, ut expiscata secretum è uiro,
His prodat omnia. Ast maritalem fidem
Seruare dum uult coniugi irritat magis
Iuuenum animos. Et hinc minas audit truces.
Quid ergo agat tum filia? & quid consulam,
Nisi ut malum maius minori det locum

a Aenigma exprimitur Iud: ca. 14. His ver. De comedēte exiuit cibus, Et de forti egressa est dulcedo.

r Pronubi dixerunt ad vxorem Samson, Blandire viro tuo & suade ei, vt indicet tibi quid significet problema. Quod si facere nolueris incendemus te et domum patris tui. Iud. 14. cap.

Tandem cum Samsoni uxor esset molesta exposuit problema, quæ statim indicavit ciuibus suis.

Malo? Rogat igitur uirum illa ut indicet
Aenigmatis solutionem, & obtinet
Multis quidem laboribus, pandit dein
Et pronubis commissa secreto sibi.
Quid multa? sic excanduit Iudæus hic
Hoc facto, ut & me, & filiam contemptui
Habens, iuberet nuntio misso suas
Res gerere, quodq; fecimus. Quin nuptui
Gnatam meam alteri dedi ex sodalibus.
Sed tempori contendit huc Carob meus
Vicinus. Huius consilia multùm expeto
Audire, præuenire enim me conuenit.
Pericula intentata Samsone effero.

Iratusq; nimis Samson ascendit in domum patris sui, vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius & pronubis.

Scena Secunda.

Carob. Gaual.

Post aliquātulum temporis venit Samson inuisere volens vxorē suam Quū q̄ue cubiculum eius solito vellet intrare prohibuit illum pater illius.

CAR. *Quid mæstior sursum deorsum uolueris?*
GAV. *Gener ne Samson uisus est tibi uspiam?*
CAR. *Quid dicis? hanc ne beluam generū uocas?*
GAV. *Poscit tamen reddi sibi gnatam meam.*
CAR. *Videlicet, quam sic amauit hactenus.*
Sed num adfuit dolosus atq; atrox homo?
GAV. *Certè adfuit, quin & reposcere ausus est*

Quam repudiauit coniugem, tandem Dij
Exasperatam belluam perdant malè.
Parùm abfuit, quin me, meáq; pessundaret.
CAR. *Quid ais? Quia illi noluisti reddere*
Sponsam? GAV. *Quid impudēs sibi non arrogat?*
Huic tamen uel alteram gnatam obtuli.
CAR. *Nec hoc fuit contentus? O audaciā?* (*hoc*
Quonám tulit tandem pedem? GAV. *ignoro, Sed*
e *Me non fugit quantum æstuaret, ut hinc abijt,*
Minasq́;, quas incusserit primum mihi
Inde omnibus Philistym. Metuo malè.
CAR. *Tentare quid solus scelestus audeat?*
GAV. *Magna, ut prius: triginta enim qui oppo-*
nere
Sese Ascalonitis nihil uerctur, &
b *Maiora non timebit aggredi mala.*
Nos fallimur, abitura si sic odia nunc
Putemus. Horribilis homo bella appetit
Aeterna. Viuaces agit crudelis &
Fœrox animus iras, suas uult uertere in
Laudes miseriam nostram, amat dici Deus
Toto orbe, & hoc primum studet, quò interrita
Virtute, pleno ore omnibus mortalibus
Colatur, hilaris excipit discordias.
Inimicitiæ eum alunt. Malis mala addere
Semper iuuat. Quæ uis feroci & feruido

e Cui Samson respondit. Ab hac die nó erit culpa in me contra philistæos faciā enim vobis mala. Iud. 14. a

b Irruit itaque in eum spiritus Domini descenditq; Ascalon & percussit ibi. 30. viros Iud. 14. d

Iuueni modum ponat? quibus domabitur
Telis? ruina noſtra aperiet ſi queat
Ad laudem iter, nam robore expenſo tumet.
Et poſſe multos uiribus uinci ſuis.
Expertus eſt facinore inexpiabili.
CAR. Adeóne formidas uirũ unicum? GAV. Velim
Vidiſſe te uultum iſtius dum abſcederet.
Immani agitur & inquieto ſpiritu?
Offenſus eſt, ſe uindicabit ſi poteſt.
CAR. Agè ergò me audias. GAV. Lubenter. CAR.
Nunc domum
Repetes. Ego luſtrabo ſi quid interim
Hic audeat. GAV. Nulla mora effectum dabo.
Hoc namq; erat quod poſtulaßem iam diu
Tacitus niſi obſtitiſſet hic meus pudor.
Tibi ſalutem mando noſtram. Sed abeo.
Hem properat huc Gazæ ſatrapa cinctus truci
Satellite, atq; ciuibus. Quid hic noui?

(ãſon 30. occiſis Aſ- calonitis eorum ab- ſtulit veſtes & dedit ijs qui proble na ſolue- ant.)

Scena Tertia.
Alluph. Carob. Iccar. Soter.

ALL. Verum ne dicitis? audeat ne quiſpiam
Tentare tam ferocia? inquirendus eſt
Autor ſceleris. Haud ſic abibunt (ſi modò
Sint uera, quæ adſertis.) nec ũquam inulta erunt

Hæc

Hæc facta. Sed quis tam ferox hæc audeat?
Credam ne? sed uera arguunt spectacula.
CAR. Huius minæ uisceribus excitant metum
Sed & nouus cursus furentis rustici
Mentem excoquit, meumq; pectus concutit.
Quo tendit insolens? IC. Quis hic? Quis hic locus?
Pestes ne cunctas conditas caligine.
Dij excitârunt? num inferorum omnes Deæ
Sunt euocatæ? Vbi sum? traho ne auras? meis
Oberrat occulis turba monstrosa, hactenus
Inuisa terris. hanc tulit Philistym
Tellus? scelera quis tanta moliri ausus est?
Vbi ultor est? uindex ubi facinoris est
Nefarij? AL. Heus heus quid furis? túne ausus es
Ista aggredi: IC. O qui principem tenes locum
Huius soli succurre perdito mihi.
AL. Quid impulit te hanc rē facere? iā mox lues,
Pœnas? IC. Aliter est quàm putas O satrapa.
Nihil patraui, ast pertuli mala ultima.
SOT. Innoxius uidetur hic & particeps
Damni dati. ALL. Sunt rusticis multa insita
Absurda mentibus. IC. fateor hoc esse, sed
Te subditos audire non est indecens.
Heu nuncius miserrimæ sum cladis
Princeps. Reposcenda est tibi dura ultio.
AL. Flammis sequacibus uoratas nuntias
Segetes?

Segetes? ICCA. Quid? hæc nosti? ALL. Volat talis
quidem
Rumor. Tamen quid nunc sciam nil interest
Tua. Audiam si consona auditis feras.
Parùm scio exactè, & tui animi iam impetum
Formido. ALL. Dic, indemnis ex me nunc eris.
ICCAR. Noctis propè abstulerat tenebras Lucifer,
Inq; asperis dumis rubescebat dies,
(Surgente quo surgit nouus mortalibus
Labor, Agitatq; cura singulos) dum ego
Gregem in patentes latè agros emittere
b Vellem. Ast statim (miserabile est dictu) ut domum
Reclusi, opacum cerno fumum in aëra
Ferri, stupesco totus & animus pauet,
Ea recolens quæ posteà uidi, hisce oclis,
Campos peto, seseq; dat mihi obuium
Mox uulpium agmen horridum, nexum nouo
Quodam modo. Nam, cauda caudæ hærebat &
Vna alteram retinebat arctis uinculis.
Vulpesq; uulpem ganniens trahebat, Et
Retrogrado mixtoq; gressu se inuicem
In fraudem agebant. Imminebant nam faces
Cuiusq; dorso flammeæ, quas dum student
Extinguere, inuadunt sibi quæ peruia
Erant,

b Samson capit trecentas vulpes caudasq; earum iunxit ad caudas & faces ligauit in medio Quas igne succēdens dimisit, vt huc illucq; discurrerent.

Erant,ut affrictu rapaces pellerent
Flammas cute.Hæ dein percurrunt fertiles
Segetes, agerq́; cœpit omnis meßibus
Ardentibus sonare.In oleas irruunt
Nonnullæ. At aliæ uineas cursu incito
Petunt.Nihil non ignis absumebat. Et,
Quod omnium est miserrimum,Nemo potis
Occurrere his malis fuit.Qui ludere
Enim solet feracibus campis rudis
Iuuẽcus,huc illucq́; cursabat ferox,
Perterritus flammis. Deinde quæ ubera
Vacuæ solent reparare matres,Vel suos
Fœtus petebant cornibus sibi obuios,
Toruiq́; tauri,& horridi uisu ignibus
Læsi, minaces dißipabant omnia.
Vix summa scandens arborum tutus fui.
O facinus immane, execrandum. O crimen. O,
Nefarium scelus,nec ullo tempore
Haustum auribus hominum. O furens ferocia,Et
Inuisa,per Dagon Deum meum potest
Humana mens portenta tanta fingere?
Quis architectus cladis istius fuit?
Quis gloriabitur de eo scelere? Quis est
Qui machinari ausus fuit tantum nefas?
Quicunq; tandem sit, rependam. Pertinax
Latebras per omnes hunc premam.Infera supera

Propin-

Propinqua.Longinqua, abdita, abstrusa,omnia
Emetiar,Nec ullus obstabit locus.
Quis astat hic? Cur tu meos uultus fugis?
CAR. O connubia damnosa & infesta. AL. an
manus,
Iam contines Præfecte: quid uerba hæc sonant?
Quin uincula inijcis? Videsne conscium
Hunc esse flagitij? PRAE. Prehendite hunc uirum
Satellites. ALL. Profare mox, & indica
Huius quis autor cladis est. SOT. Is Hostis est
Quisquis sciens hostem, tacet,nec indicat.
ALL. Curnā stupes?Cur nnnc color mutat genas?
Ne uerba quæras, Veritas odit moras.
CAR. Samsonis eheu nuptias. O nexum malum.
ALL. An hinc malorū exordiū? an tantus furor?
CAR. Iniuriam obtendit suæ uxoris ferox
Samson, repudiatam locauit alteri
Huius socer.Sed ille mente subdola
Thamnam reuertens coniugis noua oscula
Petijt,amores & nouos.Quos denegat
Socer,quòd à genero priùs spretus fuit.
Iratus hinc supra modum efferus fuit.
Abiensq; prolocutus est ferocia.
Incußit & graues minas Philistym
Fallor nisi Samson dederit impendia
Tam grandia,id quod maxime (uelut scio)

Sponsæ pater dolet. AL. Dolor doloribus
Cumuletur. Inferatur & malis malum.
Præsentis authores mali mors auferas.
Præfecte nunc Thamnam petas, & stirpitùs
Curato deleri hoc genus? flammis luant
i Pœnas feroces. In rogum uiuos citò
Dedes. Vide ut non differas SOT. Fiet, abeo
ALL. Per sancta Dagon sacra, per Ius fœderis,
Quæ mens tibi Samson? Quibus parentibus
Tandem genitus es? scito consilia nimis
Dura & ferocia sæpiùs malè cedere.
Excoctus igne auido chalybs, quantum libet
Validissimus sit, frangitur, sic etiam equi
Ferocientis edomatur impetus
Freno & Lupatis, spiritus proflare nec
Altos decet, quisquis alienæ subditus
Potentiæ est. Quid feminas discordias? Anog
Oratio ast enascitur semper noua,
Rebus nouis nascentibus. Quis rursus huc
Festinat?

i Ascenderuntq; Philistym & combusserunt tam mulierem quàm patrem eius.

Scena quarta.

Anog. Alluph.

O He sistitis? Quis hic stat? Hem
O satrapa an non consulis iam mox tibi?

ALL.

ALL. *Quid turbulentus iste uult sibi? Quid est?*
AN. *Cessas abire isthoc loco?* AL. *Sic me alloqui.*
Te conuenit? Tu principi imperas uiro?
AN. *Si uiuere amplius uelis, fuge hinc citò,*
ALL. *Samson ne nobis intulit nouum malum?*
Ah nominare decuit istum tigridem
Sæuißimam magis, quòd omnia ungulis
Pugnisq; raptet, sternat. & pessum premat.
Sed non ferunt discrimina. Vt nunc pluribus
Tecum loquar. Periculis tantis diu
Offerre me nolim. ALL. *Venit ne belua?*
AN. *Percußit ast Dominũ priùs, uixdũ scio an*
Viuum reliquerit. Obuium paulò anteà
Sese Soter dedit uolens faceßere
Sibi imperata. Hunc transijt nostrum malum,
Effugit & casus graues. tantò acriùs
Inuenit ille territos. Nos sensimus
Quantis ferox Samson ualeret uiribus.
ALL. *Tantum ne flagitium ausus est cõmittere,*
Et cæteris adiungere? Agè te ingurgites
Sceleribus, & maleficium maleficijs
Auge. Superbe glorieris ceu optime
Rem gesseris Samson, uir esto solus. Haud
Tamen, quoad uita ista suppetet mihi.
Seu tigride, aut leone, uel etiam Deo
Sis natus impunita erunt. Tu uideris.

Percussitq; eas ingenti plaga ita vt stupentes siram fœmori imponerent.

AN. Quando

AN. Quando Palæstina efferet tandem gradum
Solutusq; Samson nos metu? ALL. Quid sic times?
AN. Eum recursantem huc & huc motu effero
Vidi, furore percitum uidi igneo.
Flammata facies spiritum excitabat ex
Alto, & minas graues, ubi se fluctus hic
Franget? minas ubi ferus ponet? furor
Dum exundat, effluat necesse est, ah ferox
Huc fert gradũ, id ne dixeram? AL An nos iã petit?
AN. En tollit in cælum caput, nunc in solum.
Ardent minaces igne truculento genæ.
Incerta nutant lumina, & uersi retrò
Torquentur oculi, rursus immites rigent.
ALL. Quæ brachia attollit. manus quales gerit?
Quàm celsus humeris fronte quàm torua uidet.
AN. Ceruice fusam dissipat lata comam
Minaxq; nostrum iam appetit confringere
Caput, fuge ô princeps citò, nec protrahas.
Fœlicitas præcipua sapere est tempori.
Tutam fugam præfero periclis splendidis.

Scena Quinta.
Samson.

NVnc parta uera est palma, laudo istas manus.
O placida multùm numina. O festum diem,

C nuptiale gaudium, sed nil adhuc
Factum reor. Maior uoluptas me manet.
Pars ultionis ista, qua lætor, quota est?
Maiora Samson quære, uires præpara.
Incumbe in iras, teq; languentem excita,
Penitusq; ueteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri, quicquid admissum hactenus
Pietas uocetur. Hoc agam, & faxò sciant
Quem offenderint. Haud segniter ducetur hæc
Vita mihi. Dum terra obtinebit ætheris
Medium, atq; mundus hic aget uices suas,
Et quàm diu solem dies comitabitur.
Noctem sequentur astra, flumina incident
Ponto, Hand meus cessabit in pœnas labor,
Vis nulla quiuerit inhibere hunc impetum,
Irasq; nostras, sternam & euertam omnia.
Nullum relinquam facinus, & nullum est satis.
Timere uos moneo Palæstinos, sedet
Animo, priùs non ponere his finem malis,
Quàm hic spiritus mihi auferatur numine.
Iuuat, iuuat fecisse uobis hæc mala.
Iuuabit & maióra posthac addere,
Ad omne facinus non rudem dextram afferam,
Qui uiuitis paterna perferte scelera,
Identidem tentâstis Israhel dare
Exitio, & ut ultimis premere nos cladibus,

Vertam

Vertam uices, culpa carens & crimine:
Quid ni, lacessitus priùs? Quonam ira te
Mittes? Vbi igitur exeres uires tuas?
Sed differam, armabunt manum ad bellum scio
Nec exuent unquam indolem suam, nisi
Radicitùs perdantur. Armis se instruant,
Parent mihi pœnas, agant quicquid uelint,
Iurent meam in necem, ima summis misceant.
Nihil moror, manebo eos mea in tribu.
Ethan satis firmam petam rupem, quò ibi
Habitem. Efferam gressu citato isthinc pedem.

Chorus Primus
Sapphici hendecasyllabi.

EDitus Samson generosus orbi,
Vt suæ plebi, generiq; Iudæ
Esset adiutor, populiq; uindex.

Natus humani generis redemptor
Sic fuit Christus, meritoq; Iesum
Nuncupauerunt, hominum & salutem.

Duxit uxorem generosus ille.
Gentis inuisæ domino potenti,
Vt Deo uero sociaret illam.

Sic fuit Christo sociata turba
Gentium, quò illam sibi sanctiorem
Redderet, summoq; Deo rediret.

Vulpibus captis segetes perußit
Inclytus Samson, populiq; fruges
Impij, & pœnas scelerum expetiuit.

Vinculis sacræ hæreticos reuicit
Legis, & Christus, pariterq; cunctos
Qui Dei æterni imperium abnuebant.

Semichorus exhortans.

NVnc Philistæi populos lacessunt
Qui Dei ueri celebrant honores.
Turcus immanis renouat cruenta
Bella. Samsones date uos potentes
Principes, plebem miseram leuate
Anxijs curis. Reuocate uires
Quas parens Christus repetit, monendo
Vt iuues plebem pietate & armis.
Hoc simul Samson docuit ferendo.
Ergo ne tardes populi salutem
Quærere, istorum monitu duorum,
Disce tu iniustos reuocare Christo,

Disce

Disce tu uulpes capere & dolosas.
Ne tuam plebem, Dominiq; uastent
Vineam sacram, fuerisq; gratus
Sic tuæ genti, Dominoq; gratus.

Actus Secundus.

Bosenas. Alluph.

DOminator ô Philistym Dagon Deus,
Nunc excita sæuißimum bellum, omnia
Commisce, & omni parte uiolentum intona.
Educ ab imo tartari fundo, omne quod
Sit horridum uisu, adsit impietas ferox,
Adsit furor, serpat lues per omnia,
Pestesq; cunctæ huc aduolant, hostem meum
Petite. Impius Samson cadat cæde impia.
Iudæa tota cædibus pœnas luat.
Procedite ergo milites, procedite.
ALL. Nunc gaudeo Bosena. uirũ te redditum.
Plus roboris animiq; cerno, quàm hactenus.
BOS. Atrox, cruenta, sæua uis, bellum ferox
Me uindicabit. Discet inuisum scelus,
Violare discet fœdera, & bella serere.
Discetq; principes uiros lacessere.
ALL. Vix ipse tantum, vix adhuc credo malum.
Viresne contemnit Palæstinas atrox?
Adcóne credit omne consumptum nefas?
BOS. Vtinam esset illi sextuplex aut octuplex

BOSE. Igitur adscendentes philistym in terram Iuda, castra metati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi .i. maxilla, vbi eorum fusus est exercitus.

Vita, appetat quo tot uicibus atram necem.
Sed proximos iunctosq; sanguine habet & in,
Hos ferrum agatur, hoc meis sat est malis.
Cuncta apparate uos uiri, nullas moras
Iam fert animus, ulciscar, ulciscar modò
Me de effero hoste. Quis Deorum partibus
Nostris secundus aderit, & uires fauens,
Sufficiet acres? O Deus Dagon iuua,
Opem adferas, iuuate iamq; uos duces,
Educite agmina in aciem; Vt Samson statim
Pœnas luat, quòd temperit inita fœdera,
Nouumq; bellum suscitârit perfidus.
ALL. Ne quid temerè agatur, uide: supramo-
dum
Periculosam rem esse iudico, impetu
Temerario tentare grande quippiam,
Est tempori irroganda mulcta, & ultio
Suo loco inferenda. BOS. Quid? númne exulem
Times, & inuisum uirum uel proprio
Generi, scelere qui cuncta permiscet suo?
Virtutis antiquæ recordari decet:
Tutari eam par est Palæstinæ uiros.
Quales putatis nos habebimur, si ea
Feramus à uerpo atq; recutito uiro,
Si lucis usuram istius demus, Vel ad
Tempus breue, infidis, molestis, perfidis?

Igna-

Ignauiæ alij nomen audiant, id haud
Mihi tributum uolo, nec eneruis, socors
Iners uolo dici, & (quod est primum mihi)
Inultus, execrandá post tot crimina
Samsonis, & uafrum dolum, omne post nefas
Ruptum. ALL. *Nec ego inuri mihi hanc uelim notam.*
BOS. *Fortißime ergo Alluph, ruamus, perditum*
Eamus, expilemus hostium bona.
Grandes luant pœnas, luant pœnas citò
Hostes. statim dedantur asperæ & graui
Noxæ, satis superq; distuli, nimis
Trahitur diu ultio, hoc dolet solùm mihi.
Vah Quando Samson sentiet, robur meum?
Quando scelus pœnas Palæstinis dabit?
ALL. *Quod exprimis dictis re agendum est ilicò.*
Non questibus sunt euomendæ iræ graues.
Iudæa tota fremere debuit diu
Armis Palæstinis, oportuit ignibus
Cuncta æstuare, urbes, agros rura & domos
Lucere flammis decuit, ac strictum undiq;
Micare ferrum. BOS. *Hinc tota sub nostro sonet.*
Iudæa tellus milite, nihil protegat
Aut seruet hostes, non iuga alta montium,

Non castra, non urbes. Canat nunc bellicum
Plebs tota. Nunc uos milites accedite.
ALL. Adsint sagittarij, auidi confligere.
BOS. Miles ferentarius eorum partibus
Se iungat. Vna huc funditores aduolent.
Armis grauis sistatur isthic ensifer.
Reliqui sequantur ocius. BOS. Non uicero
Samson nisi pereat. Lubet tentare quid
Poßim, frequentes claßicum tubæ sonent.

Scena secunda.

Catsin. Atsil. Baar. Bosenas. Alluph.

CAT. Quidhoc uiri? Quósnam sonos obaudio?
ATS. Rumore num Vano exciti sumus? nouos
Exercitus ducunt Palestinæ Duces
CAT. Quid impotentes euocat? Quid coximus?
ATS. Mandata sed plebis referre conuenit.
CAT. Belli appetitu semper ardent improbi
Et usq; flagrabunt, nec unquam temperant
Iras Palæstini, uidendum sed tamen
Quid nam uelint, Nos uiribus resistere
Tantis nihil nunc possumus, gressum moue.
Verbis rapaces arceamus spe feras,
BA. Heus heus uiri, non cernitis qui conferant
Horsum pedē? BOS. Adsint perditi, adsint perditi.

In tempore huc ueniunt, petita iam incidat
Præda in meos casses. An huc Samson uenit?
ALL. Quin symbolum pacis ferunt. BOS. fors
est dolus.
b Irruite captos ducite huc, quò interrogem
Quæ scire cupio. CAT. Ne abripite obsecro.
Quæ causa uos huc excitat belloq; cur
Laceßitis uel subditos, tributa non
Negamus, fœdus initum aut uestrum iugum haud
Excußimus, nolite famæ credere
Plerunq; falsò quæ lacerat innoxios.
ALL. Quæ causa nos huc euocauerit rogas?
Nunquid secundis fertis in rebus modum?
Nunquid quietem ferre poßetis diu? (mel,
BOS. Nos nouimus uestram indolem in uos se-
Et funditùs sternamus haud ceßabitis,
Nunquam quies, nec firma pax, quos flectere
Non poßumus puto licebit frangere,
CAT. Quid principes, pacémne nos turbauimus?
Quin nunc quidem firmare percupimus eam
Magis, recusamus nihil ferre omnia
Quæ iusta ducetis fore. attamen uelim
Audire, quid nam offenderit nunc Satrapas.
BOS. Quasi inscij sitis, quid ausus aggredi
Samson fuit. Iuuenémne flagrantem improba
Victoriæ cupidine, unicam uiam

G 5 Cernen-

b Dixerũt quẽ ad de tr Iuda: adscẽd aduersum nos.

c Qui responderũt vt ligemu[s] Samson venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus est.

Cernentem ad id, quò bella seminaret, Ex
Bello excitâstis in Palæstinos? Huic
Velut oleum igni præbuistis, dando ei
Vt connubia cum stirpe nostra iungeret,
Aluistis ergo incendium quo ardetis in
Præsens, an hostem, an nos minus iam noscitis?
Totúmne prouentum bonus Samson semel
Cremauit? atq; hunc sustinetis nil minus —
Proflare spiritus acres, factumq; non
Punitis, hunc Iudæa alit. deposcimus
Culpæ atq; criminis reum. Vel unde ius
Stet, indicabunt arma belliq; exitus.
CAT. *Ergóne Samsonem modò deposcitis?*
Vultis ne eum dedi à suis ô Principes?
BOS. *Vestro ultimo malo nisi uelitis hunc*
Seruare. CAT. *Quid si eum manus tradamus in*
Vestras, ab armis discedere animus foret?
ALL. *Effectui mandate, tunc cessabitur.*
BOS. *Furiam & facem belli istius detestor ac*
Odi. nec unquam desinam nisi uices
Reddam, hæcq; tela infixero cordi illius,
CAT. *Quod possumus tentabitur.* BOS. *Videtene*
Nos fraudibus fallatis, aut dolo malo.
CAT. *Absit timor. seruabimus datam fidem.*

Scena Tertia.

Bosenas. Alluph. Milites.

BOS.

BOS.

Meritas dabit (quemadmodum spes est) mihi
Pœnas scelestus, & impius Samson, statim
Iusticia aderit ultrix facinorum ingentium:
Mors digna, quæ parabitur nunc perdito?
Is fortitudini licet fidat suæ,
Et glorietur impijs factis, tamen
Venit dies, spero, atq; tempus, quo suis
Animam nocentem sceleribus reddat ferox,
Iugulum hostibus desertus & destructus &
Cunctis egens Iam sentiet, pœnas luens,
Quàm ametur à suis. Quis homo tua approbet
Nunc facta Samson? cùm & tuis inuisus es
Cùm maximam parauerit laudem, tibi
Qui ademerit uitam? Ergo Quis mortalium
Nos intuens, non talibus præconijs
Excipiet? Ecce Principes qui patriam
Et incolas timore beluæ efferæ
Sunt liberare ausi, atq; pristinum in statum
Reducere, hostibus datis neci. unicè
Decet coli hos ab omnibus, conuentibus
Laudare publicis eos semper decet.
Hæc dixerint, nec mortuos, nec deseret
Viuos superba gloria: ergo ne amplius
Viuam, cruentatum nisi transmisero
Per pectora gladium. O Vtinam adesset ferox.
Aut si meis non occidat telis, dolis

Adinteri

Adiutus à suis, dabo noxæ simul
Omnes fauentes improbi conatibus
Redigemus in nihilum solum Iudæ. ALL. *Obsecro*
Iram refrena animiq; cohibe hos impetus,
Et modò animum tuum institue prudentiùs,
Hoc censeo mage esse facto opus, Vt ei
Vitam relinquamus. Palæstinisq; sit
Ludibrio omnibus, petatur aspero
Identidem risu, ferox animus minùs
Hæc perferat nece ipsa & iaculis.
Nam mors ab omnibus malis nos uendicat:
Nec est molesta, ut iudico, ast impendio
Est grauiùs emori cupere, ueruntamen
Non posse id assequi. BOS. *Nihil uanum sapis,*
Non occidet igitur cita morte impius.
Sed uiuet alieno in solo miserrimam
Vitam, hæc erit merces uiro impio ultima.
Sed quando, quando istuc erit? Quis det mihi
Contundere altos illius humeros, mora hæc
Grauis? fefellerint, timeo, nos perfidi.
ALL. *Strepitum audio breui mora te contine.*
BOS. *Compósne sim uoti mei? Samsónne adest?*
ALL. *En uinctus est Samson suorum uinculis.*
En uinctus est MILITES. *Pœnas luet, uir noster est*
BOS. *Se liberet iuuetq; eum* DEVS *suus.*
ALL. *Heus armiger cedo mihi nunc caßidem.*

Nec

Nec belluæ tantæ audeam me credere (ris.
Inermis. Bosenas. O fortem uirum. ALL. Tu uide-

Scena Quarta.
Samson. Bosenas. Alluph.
Catlin. Milites.

SAM. AH, siccine illudi sines seruum tuum [a]
O maximæ Israël DEVS. feres diu
Tantum nefas? meam manum arma fortiter.
Nunc sentiant, si unquam priùs, robur meum.
BOS. Ligatus est, quid tentet impius modò?
SAM. Bene ominor, iam sentio numen tuum.
[e] Sic sic meum exagita animum, mentemq; sic
Meam foue. sic incubes O spiritus
Mihi, excita, O Deus potens robur meum.
Dirumpe, dißipa, abripe hos funes citò,
Nunc fortitudo agas Dei. sic rumpe, sic
Funes lacertis cedite, intorti, meis
MIL. Inuictus est, dirupit cheu uincula.
SAM. Age ira. Samson spiritu fretus Dei
[r] Fuga hostium turmas, agas quod posteri haud
Silentio unquam transeant, sed hæc mihi
Sint arma ijs te protegas Samson modó.
ALL. Hem ceditis. BOS. Seruate nos Occidite.

[a] Samson cũ venisset ad locum maxillæ & Philistym vociferantes occurrissent ei irruit spiritus Domini in eum [e] Sicut solent ad ardorẽ igni ligna consumi: ita vinculaqui bus ligatus erat dissipata sunt & soluta. [r] Inuentamq; maxillam arripiens occidit in ea mille viros.

Scena.

Scena Quinta.
Achiofer.

O quanta nostrum ciuium ignominia?
Indignitas quanta est tribus. Iudæ iam abit
Fortißimus Samson, suis spectaculo
Hostibus. iniquis heu erit ludibrio.
Mactabitur Samson suis ab hostibus,
Iniuriarum patriæ uindex, sua
A plebe proditur, sui tradunt eum. O.
Ingratitudo plebis Israel, nefas
Indignum & intollerabile est. Heu patriæ
Salus per ora hominum, theatra per hostium,
Vicos per omnes, ciuitates, oppida,
Traducitur. proh facinus impium. Sed hem
Qui huc aduolant.

Scena Sexta.
Catsin. Achiofer. Milites.

CAT. Quàm multa præter spem facit (est?
Deus. AC. Quid ita nũc curritis uiri? Quid
CAT. Infractus est, uinci nequit fortißimus
Samson. ACHI. Quid est? quid dicitis? num res noua?
MIL. Inuictus est Samson. ACHI. Egit Quid insolens?
CAT. Vt proximus fuit hostibus, tollens caput

Prorupit

Prorupit in tales minas. Samſon age:
Ipſi,ipſi enim hoſtes impetunt te proximè,
Te,te petunt.te,te uolunt,me, me dabo.
Dictum dein factum lacertis diſſipat
Funes, Et aſini corripit maxillam, eam
Premens manu infit. Spiritu fretus Dei
Samſon,ſuperbas hoſtium turmas fuga.
Ociſſimè tum in hoſtium caſtra inuolat:
Hoſtes ruit,ſternit,fugat. Sed hinc abi
Ne ira illius redundet in noſtrum caput.
ACHI. Manete, quid fugitis? CAT. Nihil nunc
audio.

Scena Septima. Samſon.

Habeant ſibi,diſcant laceſſere adhuc uirum.
Ludibrio Samſon ſit his in poſterum
Adhuc ne ſpiritum trahis? Tibi hoc habe.
Maxilla aſini mille,uiros nunc
Straui,iacet hoſtis uiolentus,
Maxilla aſini iam ſuperatus.
Fuſa eſt acies hoſtium iniqua,
Maxilla aſini eſt præcipita.
Vah Vah quid hic?nunc urit os ardens ſitis.
Vix ſpiritum guttur meum feruens trahit.
Tantúmne dira poteſt ſitis? Vah me enecat.
Adſis

Et ait In maxilla aſini in mandibula pullã aſinarum deleui eos & percuſſi mille viros.

Sitiensq́ valde clamauit ad Dominũ.

Adsis mihi seruo tuo fortißime,
Tu uernulam serua tuum Deus bone
Autore te uici impios hostes tuos.
Vici meos hostes iuuante te Deus,
Quid? & sines horum in manus ut incidam?
Feres ut hostes tanta post trophæa nunc
Triumphum agant de me, O Deus meliora da.
Rabidam obsecro sitim leues, tu enim potes.
Meum exhilara animum, refice corpus meum.
Omnem meam in te colloco fiduciam.
Eya uideo meas preces audiße te.
b Scaturientes conspicor gratas aquas.

b Aperuit itaq; Dominus molarem dentem in maxilla asini & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritũ & vires recepit.

Samson leua sitim tuam, dono Dei.
Papæ, mera est suauitas. Vt guttur hoc
Perstrinxit aqua iussu Dei scaturiens.
Resumo nunc uires meas, recreatus est
Animus, Tibi Quinam potis persoluere
Sim gratias dignas tuis donis Deus?
Tu tu salutis autor es solus meæ.
Tu iure uendicas tibi hanc uictoriam.
Seruator es semper meus, me dextera
Tua usq; protegis, potentia es mea,
Pulcherrimi & mei triumphi gloria.
Nunquam excidet mea memoria in posterum
Tantus fauor, benignitasq; in me tua, ast
Visam meos cœptamq; prosequar uiam.

Chorus secundus.

Aristophanij Iambicis Dimetris mixti.

Samson perustis fructibus,
Quæritur à cruentis
Et improbis Philistym,
Exitio quò eum dent.

Christus quoq; euulsis malis
Dogmatibus, reuictis
Et improbis doctoribus,
Quæritur, ut prematur.

Samson saluti quò foret
Et populo suo, se
Permisit arctis uinculis
A populo ligari.

Sic Christus, ut reduceret
Cæcum hominem ad salutem,
Volens sciensq; passus est
Se reliquari acerbè.

Samson cohortes hostium
Strauit, & impiorum

Spes irritas fecit, licet
Auxilio uacaret.

Sic Christus omnium hostium
Turbam, aciesq́; fudit
Ligno crucis sanctißimo,
Vnde aqua uiua fluxit.

Semichorus.

QVi iudicis summi locum
Vis retinere, fortis
Samsonis æmulator &
Esse cupis probatus:
Vt liberes plebem malis,
Ne dubites pericla
Rerum, atq; uitæ adire, nec
Hoc malè cædet unquam.
Ille ille qui cuncta inspicit,
Auxiliator esse
Solet suis in tempore,
Ludificans superbos.

Actus Tertius.

Samson.

Quùm audissent Phi *SAmson ne captus iam Palæstinis luit*
Pœnas graues? quales triũphos de me agunt?

Quantis

Quantis miser Samson tenetur uinculis?
Qui me tenent firmata Gazæ mœnia?
Portæ ne Samsonem prement? has uellere
Possunt meæ uires, easq; tollere.
Valuas parent nouas, nouaq; repagula,
Nouis parabo uiribus tunc gloriam.
Intendite insidias Palæstini mihi,
Quas uultis apparate machinas. Ego
Solum Deum Israël uolo, quo uindice
Nihil morabor multitudinem hostium.
Technas nihil, uires nihil, sat est mihi
Vnus Deus, qui dum iuuat seruum suum,
Inuictus est, sternitq; uel fortißima.
Tentent, ruant, ringantur, audeant, agant
Quicquid uolunt, non segnem habebũt me uirum.
Cladem iuuat finire cladibus nouis.
Sed quos ob ambulare cerno in proximo?

listym intrasse vrbẽ (Gazam) Sãson, circumdederũt eum positis in porta ciuitatis custodibus Dormiuit aũt Sãson vsq; ad medium noctis. Et inde consurgẽs apprehẽdit ambas portæ fores, cũ postib. suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis quæ respicit Hæbron. Iud. 16.a.

Scena secunda
Sobea. Nochel. Dalila.
Samson.

SOB. Quis huc gradu incito uenit, frontem explicans.
NOCH. Ipsum intuor Samsonem adhuc interritum,

Nullo latus comitante. DAL. *Quid dubitamus hunc*
Nostro aggredi more? SOB. *Hunc abesse optem hospitem.*
NOCH. *Crudelis hospes hinc facessat longiùs.*
DALI. *Lactabo eum mea arte, sed silete, adest.*
SAM. *Quæ uerba secum conferunt? certè hæc nitet*
Supra modum, uix me ferò. Deus bone
Quanta huius est suauitas uultus uenus.
Quanta est ocellis, bella quàm labella sunt.
DAL. *Te, te uolo præbe osculum Samson mihi.*
SAM. *Quæso. Quis huc mentis impulsus trahit?*
Et tam procaces suscitat motus furor?
DAL. *Certè anxiam me cura detinet tui.*
Quòd te grauas, nimisq; es infestus tibi.
Qui cogitur fatis, miser uiuat quidem,
Sed si uolens quis forsitan sese offerat
Malis, oportet neminem culpet, Quia est
Dignus bonis ut excidat, qui nesciet
Vti. relaxetur tuus semel labor.
Quid bella te, quid tam ardui motus iuuant?
Aetate (si sapis) fruere, nam percito
Cursu fugit, ne ne optimos dies sinas.
Effluere miserè, suscita teipsum modò
Nunc solue habenas. Cur thoro uiduo iaces?

Mecum ueni, annorum memor sis, da osculum.
SAM. Quantā indidit natura uim mulieribus.
Vrit medullas nescio quodnam malum.
Sed uos tamen non perfero causa unius.
DAL. Ne culpa fiat omnium, unius scelus.
Nil esse perfectum omnibus puto partibus.
SOB. Nos optimas, faciles, benignas senties
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
NOCH. Vinū optimū Samson tibi promā. Veni.
Curasq; multo dißipa graues mero,
DAL. Tapetibus domum meam instruxi: omnia
Tuæ quieti comparata sunt. Veni.
SOB. Genium tuum fraudare ne pergas, rogo.
DAL. Adesto, ne iam protrahas tantum bonum.

Scena tertia.

Nochel. Alluph. Baar. Netsib.
Chabet. Bosenas. NOCH.

Occasio magna est parandi principum
Animos. Age, inuisum uirum Philistym
Prodas Nochel, Samsonem adesse nuncia.
Succedat, abscedo. ALL. Viri sum nescius
Quemadmodum furiam, facemq; extinguere
Incendij tanti ualebimus. BAAR. Metus
Est ut malum fingat nouum, cumuletq; nos
Maioribus damnis. NET. Sed ecce nuncius (dum?
Malorū adest. NOC. Quæ turba confert huc gra-

Si quid uideo sunt optimates patriæ,
Fotuna cœptis nunc faue. NET. *Quid fers noui?*
NOCH. *Bona adfero. Ast magno meo discrimine*
ALL. *Mox te explices, si gratiā nostrā expetes*
NOCH. *Se ad Dalilam Samson recepit efferus.*
ALL. *An ut det operam amplexibus suauibus?*
NOCH. *Hæc admodum belle tenet meretricios*
Mores, eum quocunq; lubet induxerit.
BOS. *Vallemus istius domum, flammisq; ea*
Samsonq; perdatur simul. ALL. *Nil dicis. Is*
Maiora qui discusserit discrimina,
Minora quiuerit etiam repellere.
Aliud scio, ad nos Dalilam uocabimus.
Sed nescio utrùm hoc effici tacitè queat.
NOCH. *Tentare sum paratus inclyti uiri.*
ALL. *Vade ociùs, certò scias, non feceris*
Gratis, graduq; consequemur concito,
NET. *Secreta continere mulier non potest.*
BOS. *Discrimen imminet, si ei occulta aperias.*
ALL. *An uos fugit quosnam sciat mulier dolos?*
CHAB. *Peritiam fallendi habet cunctos uiros,*
ALL. *Deinde quid uenale meretrix non habet?*
Eius animam pecunia parauerís.
CHAB. *An hac uia ergo hanc aggredi tutùm putas?*
ALL. *Puto, sed insequamur ociùs uirum.*

Scena

Scena Quarta.

Dalila. Nohel. Chabed. Netſib.
Baar. Alluph. Boſenas.

IMpure leno adſis, tibi minuam caput.
Te, te unguibus ſceleſte nunc lacerauero.
Te continere in poſterum diſces domi.
NOCH. *Pro more mittit fulmina ſua.* DAL. *Heus uir bone.*
Heus perdite, an neſciſti adeſſe hunc hoſpitem?
a NOCH. *Placare eam ſtudebo ſpe lucri data.* a Venerũt quẽ ad Dalilam principes philiſtinorum.
DAL. *Quid muſsitas tecum?* NOCH. *Domina lucro tibi*
Abſentia magno fui. DAL. *Quid improbus*
Commentus eſt? Quod fers lucrum? NOCH. *Mox uideris.*
DAL. *Hem, multitudo pone te quænam uenit?*
Turba hac putas gratum eſſe te. NOCH. *Secura ſis.*
Ditaberis. DAL. *fingit ſcelus.* NOCH. *Credas mihi.*
Des te obuiam, nam te petunt. DAL. *Hoc ne audeam?*
CHAB. *Cùm noſtro adeſt petita meretrix.* NET. *Admodùm*
Ornata. BAAR. *Salue Dalila.* BOS. *Oportunè ades.*

DALI. *Adsum usq; famula uestra Principes uiri.*

ALL. *Attolle te, requirimus operam tuam.*

DALI. *Quidnam negatum iri queat Dominis meis?*

ALL. *Pecunia te maxima ditabimus.*
Si assenseris nobis. DAL. *Lubens assentiar,*
Si sit facultatis meæ. NET. *Sed dic prius,*
Sumus ne tuti ab hoste? DAL. *De Samsone nunc*
Interrogas? NET. *Interrogo.* DAL. *Dormit domi*
Luxu obrutus. ALL. *probè.* DAL. *Bene & curauimus*
Cutem simul. ALL. *Laudo. Sed illectes eum*
Sermonibus blandis, Vt is dicat tibi
Vbi lateat tantum illius robur, quibus
Deinde uiribus queat succumbere.

BOS. *Domes animũ hõ improbi, & frenes ferũ*
Inuerte mentem, toruus, immanis, ferox.
Si amet, feratq; mutuos ignes, dabit
Aures tibi faciles, in hoc uires tuas
Intende, sola gloriam tantam feras.
In iura nostra ueniat adiuuante te,
Quo eũ prout meruit premamus. DAL. *Hoc ne ego*
Tentabo? ALL. *Quid times?* DAL. *Amicam id non decet.*

BOS. *Nihil sapis, Nam usum tui, plus quàm te amat.*

DALI. Hoc dicitis. ALL. Numerabimus tibi sin-
guli
b Argenteos centum supra mille, id si ages.
NOCH. Bolúmne lautum, nunc tibi curaui hera?
DAL. Hocne dabitis si id impetrem? ALL. Bo-
na fide.
Et multa præter hæc tibi præstabimus.
DAL. Sed qua uia putatis hunc tentabimus?
ALL. Quid sus Mineruam doceat? Et mulier,
queas,
Facilè dolos effingere occultos, quibus
Eum implices. DAL. Curabitur: nec differam in
Longum. Est domi secessus haud incommodus.
Condatis ut uos inscio Samsone, eò
Ibitis, ego interim aggrediar insigniter
Virum quò eum tradam in manus uestras. ALL.
Age.
Quemadmodum nosti optimè. At discrimem in
Magnum uocas, si ædes subintremus tuas.
DAL. Totum relinquito mihi. curauero
Ille quid mali redundet in uestrum caput.
ALL. Baar, lubétne Dalilam intrò consequi?
BAAR. Nihil mage, ast ubi pars manebit altera?
ALL. Pro foribus expectabit euentum rei.
CHAB. Fortuna par sit ô uiri conatibus.
DALI. Tacito pede incedite, strepitus absit modò

b Quod si feceris dabimus tibi singuli mille & centū argenteos.

ALL. Facimus. DALI. Domum intrabo prior
quò conſpicer
An omnia in tuto locata ſint. ALL. probè.
BAAR. Exponimus nos maximo diſcrimini.
ALL. Sed laudibus maioribus cumulabimur
In poſterum. BAAR. Spes eſt. DAL. Agite, uenite, ne
Strepite, ſtrepitus abſit. Venite clanculùm,
Submiſsiùs ueſtigium uos figite.

Scena Quinta.
Boſenas. Netſib. Chabed.

BOS. TE, te precor Dagon, Deos & inferos,
Superosq; pariter. excipe fauſto omine
Nos atq; proſperi manus præbete nunc
Fidas mihi. NET. fauete cœptis fortibus.
CHAB. O nox dolis accommoda atq; fraudibus.
Da fallere improbiſsimum hoſtium, iuua
Nunc Dalilam. O patrij Dij uos deprecor,
Ne infamia turpi notatos mittite.
NET. Audite nunc puras preces quas fundimus,
Quod partium eſt noſtrarum agemus ſedulò.
BOS. Captabit oportunitatem temporis
Nunc Dalila, hoc debet uideri, ne effluat
Incuria noſtra, Eſt enim operis optima
Magiſtra, cuiuſcunq; & incepti artifex.

NET.

NET. Petamus ergo propiùs isthanc fornicem.
Ohe uiden? prorumpit en cursu incito
Nohel foras NET. Videndum quid uelit.

Scena sexta.
Nochel. Chabed. Netsib. Bosenas.

Fidas, uiri, excubias agite. CHA. Qui sic? NET. NOCH. Quid est?
NOCH. Incumbit operi amica uobis fœmina.
CHAB. Succedit an fœliciter noster labor?
NOCH. Nunquam meliùs. CHA. Irretijt propè improbum?
b NOCH. Secreta detexit sua ac uino madet:
NET. Triumpho. BOS. Gaudeo. CHA. Admodùm gratus uenis.
Annuncians eiusmodi. NOC. Submißiùs.
Agite. CHA. Quid ergo facto opus nunc iudicas?
Tecumne conuenit domum nos ingredi?
NOCH. Si sic iubet perire Samsonis manu.
CHA. Meliora dent Dij. NET. Sed an nostri latent
Tuto in loco? NOCH. Consultum ijs est optime.
NET. Plagis ne mox inclusa dispositis fera
Tenebitur? NOC. In has incidet, Quemadmodum
Speramus, illico. CHA. An uenire quiuerit.

b Si septem neruiceis funib. nec dum siccis & adhuc humentib. ligatus fuero: infirmus ero vt cæteri homines:

Nostram

Noſtram in poteſtatē ferus Samſon? NOCH. Breui.
Vino æſtuans gratisq; amoribus uacans.
(Vbi ſolet, nil ſubdolè aut fucatè agi.)
Recenſuit modos quibus uinci queat.
Inſtant ſed operi intùs ſcio. Vigilate uos.
Repetam domum uiſurus, an ſat tuta ſint
Omnia. NETS. Sed heus, quod nam dabis ſignum? NOCH. Canam
Tunc uoce clamoſa, Ipſe captus eſt, habet.
NET. Prodire te malim foras. NOCH. Si cōmodè
Poßim, dabo effectum. CHA. Interim rimabimur
Quæcunq; poſſumus. NET. Animo uix tempero.
Hinc gaudium, illinc me timor uiri premit.
CHA. Cùm ſperat animus quippiam neſcit tegi.
BOS. Tandem in manus noſtras ueniet aſper leo
e CHA. Viri, ſagaciter locum ſcrutemur hunc.
Preſſo pede accedamus ad fores domûs.
Tumultus eſt intùs, ſilete paululùm.
BOS. Valuæ tremiſcunt. tota ſuccuſſo ſolo?
Nutat domus, quò ſe dabit fortuna? Quò
Viri fugite. CHA. Mane mane Nochel uenit.

e Latētibus apud Dalilā inſidijs, & in cubiculo finem rei expectātibus Clamauit ad eum: Philiſtym ſupēr te Samſon.

Scena ſeptima.
Nochel. Netſib. Baar.
Alluph. Dalila.

Pectus

NOCH.

PEctus pauet, trepidatq; adhuc spectaculo.
Heus heus uiri audistis quid intus accidit?

NET. Horrore quatior dicta quò uergent, timens.

Si quod reportas nunc malum mox edoce.

NOCH. Astutus astutam fefellit Dalilam.
a Nam uinculis mox uirgeis (quis dixerat.
Robur suum adimi posse) perruptis, stetit
Paratus ad pugnam, velut furens Leo,
Vel ut laceßitus canis pigro uolens
Vacare somno. Vota tunc erant mea
Nunquam excitâsset Dalila improbum. NET. uagus
Oberrat intùs terror, ac ingens timor.
Saluine nostri? Voce properata indica.

NOCH. Emittere illos nititur nunc Dalila
Parte altera domus. NET. Periculum euaserint

NOCH. Viuunt. Sed en tremulo gradu istuc aduolant.

a Qui rupit vincula: quasi rumpat quis filū de stuppa tortum sputamine cùm ardorem ignis acceperit & non est cognitum, in quo esset fortitudo eius.

BAAR. Inhæret artubus tremor. gelidus coit
Sanguis mihi, crinis etiamnum erectus est.

ALL. Trepidis adhuc stat terror animis, Cor salit
Mihi, atq; pauidum palpitat uenis iecur.

BAAR. Actum ne erat nisi petißet alterum
Latus? Quid à nece abfui? quid obfuit.
Quò non fores effringeret? ALL. Nos nunc tibi

O Dalila

O Dalila hunc committimus. Vos ocyùs
Abite, nec tutò manemus hoc loco,
NET. *Quid est? Venit Samson?* BAAR. *Fugite. Quid si foras*
Prodeat atrox? DAL. *Sed heus uiri de argenteis*
Nil dicitis? ALL. *Numerabimus si effectui*
Mandaueris promissa DAL. *Agam, discedite,*
Discedite, haud unquam quoad uiuam, bolum
Tantum eripi sinam mihi. Ast argenteos
Reuocabo fugitiuos, modò his respondeat
Fortuna fraudibus, Igitur Nunc Dalila
Oportet omnes explices technas, simul
Artes tuas. Sed exit en Samson truci.
Vultu minax. Detexerit ne quispiam
Nostros dolos? Quid lustrat incito gradu?
Quid sic genæ flagrant? Caput quid concutit?

Scena Octaua.
Samson Dalila.

SAM. *Adeste, adeste scelerati citò huc adeste. Vbi?*
Vbi estis? Vbi latetis? ecquisnam fuit.
Hic intùs? audeat aliquis mecum manus
Conserere? nemo est? mussitantes audij.
DAL. *Amice Samson te reprime. Domesticos*
Vides adesse, nemo quærat te exterus
Nemo nisi amicus adfuit mihi, SAM. *Tuus*

Fortasse

Fortasse. DAL. *Verum dicis O Samson colo.*
Te,te unicum, solùm te amo, solùm uolo.
Solus tu amicus, sola delectatio.
Peruadere extrema orbis huius inferi
Nutum ad tuum lubens uelim, nec ire per
Ignes (modò id iubeas) pigeat aut tela per
Infesta, ego unquam rennuam transcurrere.
Neq; dubitem hoc pectus paratis ensibus
Obijcere, si tibi queat esse commodo.
Tota es uoluptas & mea oblectatio.
SAM. *Aliam ne habebis indolem quàm cæteræ?*
DAL. *Adhuc tibi sum incognita: ast in posterum*
Tu noueris magis. SAM. *Velim me nosse nunc.*
DA. *Si quid me amas, aut si quid antiqui tibi*
Remanet uigoris pelle Dalilæ metus.
SAM. *Sed indices bona fide, an quis hic fuit*
Qui me uelit. Vacat ne res omni dolo?
DAL. *Prorsùs uacamus & dolis & fraudibus*
a *Quis hiscere audeat modò? Tyranni iacent.*
Solum tuum nomen timori est omnibus.
Nam quicquid occurrit tibi uincis, potes
Quicquid uelis, habesq; quicquid appetis.
Quicunq; fortituninem tuam audiunt
r *Mirantur & stupent.* SAM. *Quot ô mea Dalila*
Fregi mala, & quanta occiderunt hac manu.
Prædæ olim hians crudelis, & ferox Leo

a Nota ἀμφιβολογίαν varia verbi vaco constructione natam, & dignũ meretricis calliditate responsum.

r Irruit spiritus Domini in Sãson & dilacerauit Leonem quasi hedum in frusta decerperet, nihil omnino habens in manu, Iu. 14. b

Vires suas posuit, ad occursum meum.
Elisi enim fauces uoracis beluæ
Nudis meis manibus, ijsdemq; spolia
Ab Ascalonitis tuli, horum contudi
Terga & caput, mille & Palæstini meis
Cessere uiribus, mea fusi manu.
Fortis ne Gaza robori cessit meo?
DAL. Edis facinora digna maximo Deo.
Te iudico Samson Deum aut natum Deo.
SAM. Non est Deus, miraculo Dei editus.
DAL. Sed undè quæso uiribus tantum uales?
Quodcunq; monstrum unquam obstitit tibi, tua
Vicit manus. SAM. Quis? Quis mala inuasit nisi
Samson? quis inuadet? quis audebit mihi
Se opponere? aut quis magna tentabit, nisi
Qui uindicare iniurias ueteres potest,
Inermis, & solus? Quis hostis se offeret
Mihi? Quis est? DAL. Quisnam mori uolens uelit?
SAM. Adsint phalanges hostium, resistere
Paratus est Samson. Timor nullus mihi.
DAL. Quis suggerit robur tibi tantum obsecro?
Quid tam diu hoc cælas amicam Dalilam:
Nunc fictum amorem uideo, nec me diligis.
Si uiuis ô Samson, timores excute.
SAM. O chara non te diligo? ô mea Dalila.

Apparuit angelus Domini vxori Manuæ & dixit ad eam: Sterilis es & absq; liberis sed concipies & paries filiũ Iud. 13. a.

Hic finxeris inter medios actus Samsonem aliquoties Dalilã elusisse tandemq; sua secreta detexisse: Nã Horatio teste. Aut igitur res in Scenis aut acta refertur.

DAL.

DAL. *Si uerè amas, succede tecto nunc simul.*
Et consciam me fac, remotis arbitris.

Chorus Tertius.

METRVM TRICOLON TEtrastrophon, cuius duo primi versus sunt epionici, tertius Iambicus, Archilochius hipercatalecticus. Quartus dactilicus Alcmanius.

INtrare Gazam non timuit palàm
Samson, nec hostes tantoperè horruit,
Quin libero somno uacaret,
Insidias licet appararent.

Dormire Christus sic uoluit parùm
Sepulchro, & imas uisere tum domos.
Surrexit illinc gloriosus,
Dum spolia abstulit inferorum.

Samson reuulsis fortiter oppidi
Gazæ inclytæ portis, iuga frondea
Montis petiuit, cùm sera, atque
Postibus, & tulit hostium spes.

Christus reuulsis fortiter inferi
Portis, remoto imperio quoq;
Mortis, triumphans cœlitum aulam
Scandit, & unde aderat rediuit.

Semichorus.

Quisquis gubernas & populos regis,
Si uis crudeles uincere copias,
Si ludere hostes, ac minaces
Insidias, reprimes teporem.

Stertendo Samson non fugitat necem.
Stertendo Turcas non superaueris.
Cura, & labor primas tenebunt
Rebus in omnibus. hisq; uinces.

Actus Quartus.
Alluph. Netsib. Baar. Chabed.

Vidensq́ue Dalila quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad princi-

ALL. O *Principes uirtute uiuida ultimo*
Tentandus est Samson ferox. Iam tentium
Eluserit spes perfidus, quid tum? modò
Graue induat tandem iugum. Non segniter
Pendenda sunt quæ nuncius nunc attulit.
Spes magna tantùm posse deuinci malum.

BOS,

BOS. *Quæ nunciauit Dalila inconcussa sunt.*
Non fallet expectationem, illectat hanc,
Fouetq; spes lucri. Ergo *concipite optima,*
Et excitate animos, statim erimus compotes.
Voti, cui fortuna fauit usq; eum
Tantò altiùs prolabi ad extremum finit.
NET. *Quod admodum miseri uolunt suadēt sibi*
Facilè. ALL. *Imò quòd nimis timēt nunquā putant*
Posse amoueri aut discuti. BAAR. *Fugiat pauor,*
Edaxq; cura fugiat isthinc longius.
CHA. *Audacia est opus, facessas hinc metus.*
ALL. *Sed ne trahatur longius profectio.*
NET. *O si Deus Dagon labores adiuuet.*
ALL. *Qui principem locum tenes inter* Deos
Tu redde quicquid abstulit Samson ferox.
Inter bonum malumq; mentes fluctuant
CHA. *Tibi offeremus ô* Deorum *maxime*
Amplissimas gratasq; uictimas, si opem
Feras tuis cultoribus. BAAR. Reddemus *&*
Tibi fide multa sacras laudes, modò
Quod poscimus dones, & audias preces.

pes philisti norum ac mandauit. Adscendite adhuc semel. Quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui adscenderunt allumpta pecunia quam promiserant.

Scena secunda.

Nochel. Alluph. Chabed. Dalila. Samson. Bosenas.

NOCH. DEum per immortalem ubi hæretis modò?
Quid tam diu uenire cessatis uiri
O principes? exponitis nos maximo
Discrimini. ALL. Cœpit dolos sentiscere?
NOCH. Sensit quidem, ast clusus est per Dalilam.
Videte ne opportunitas tanta excidat
Per has moras, agite. Dolis instate, nunc
Intendite in prædam omnibus neruis, nisi
Segnes nimis sitis, fugere non quiuerit
Vestras manus Samson, Vir est uester modò.
Audite sedulò quid intus factitent.
Intro domum. atq; Dalilæ signum dabo.
Nam rem aggredi opportunitas ingens datur.
BOS. Vah incidet cupita præda casibus?
ALL. Vt spero amara sentiet tandem oscula.
BOS. Discet ferox, discet bonos lacessere.
e DAL. Exurge Samson imminent Philistym.
ALL. Clamatur intùs, nunquid auditis sonos?
DAL. Dirumpe Samson uincula, atq; te expedi.
CHA. En rursùs, auditur domi uox tinnula.
SAM. Quid fit? Quid est? Vbi sunt? Vbi Philistym?
ALL. Samsonis audio minas. CHA. Horreo metu
SAM. Vah, uah quid hoc? me, me tenebunt uincula?
Virtus ubi Samsonis est? Vires ubi

e Dixítque Dalila Philistym super te Samson. Qui de somno dixit in animo suo. Egredior sicut antè feci, & me excutiam nesciés quòd recesſiſſet ab eo Dominus.

Mea

Meæ relictæ: sunt? Vbi robur meum?

CHA. Exultó gaudio, bona audio Viri.

SAM. Ah tecta funesta, ah domum infaustam mihi.

NOCH. Nunc perdidit uires suas, nunc perdidit. Rumpite moras, accedite, Virum stringite.

ALL. Eamus intrò, eamus intrò, tempus est,

SAM. Ah conspicor hostes, iuuat ne quispiam? Vbi es parens ter maxime? an me deseris?

ALL. Dormit Deus tuus, nec audit perditos.

SAM. Túne excitas risus mihi, & rides Deum.

ALL. Ridere prædonem iuuat nostri soli.

SAM. In uos ruant tela horrida, in uos fulmina Mittat Deus sua, hostium turba occidat.

DAL. Abducite hospitem, petitam abducite Prædam, domum relinquat ocyùs meam. Ira æstuantem non fero ampliùs uirum.

SAM. O execrabile, ô ferum, ô informe, nec Lingua exprimendum, ô impium mōnstrum, tua Vbi fides? ubi est amor? sic túne amas? O tartareum amarumq; mel. Sum perditus. Gustu tuo. sum perditus per fœminam.

DAL. Adhuc loqui iuuat ferocia in malis? Audite quæso principes quænam inferat Opprobria, & quantum premat nostrum Quod publicis natum est genus, iuuandis cōmodis.

CHA. *Solertiæ tuæ accipe isthuc præmium.*
ALL. *Argenteos nunc sume promißos tibi.*
DAL. *Habeo optimates gratiam quàm maximā.*
*Valete.*Nochel *me iuua pecuniam*
*Inferre tectis.*NOCH. *Diuites sumus satis,*
Meritò dies præsens erit lætißimus.

Scena Tertia.

Samſon. Soter. Baar. Alluph.
Chabed. Boſenas.

SAM. Q*Vid sic scelesti rapitis?egó ne sic trahar?*
Vos tigrides quò ducitis tam immaniter?
Quinam hostium uacat cadaueribus meum
Latus?iuuabit nemo Samsonem?heu nefas,
Heu facinus immane,heu malum & turpem dolū.
Samsonis ecquis non perhorruit manus?
Cui hactenùs locum dedit uirtus mea?
SOT. *Nobis dedit.Nobis dabit nolis,uelis,*
SAM. *Cedámne uobis atq; inultus abstrahar?*
Dolor,Dolor mihi,dolor uos cernere
Saluos quoad uiuo, pereat & occidat
Samson,placet si modò cadant hostes simul.
ALL. *Adhuc ne nobis incutis Samson minas?*
Videre nos grauaris ô ferox homo?
BOS. *Nunc iuro per Dagon Deum Philistym*

Non

Non ampliùs nos intueberis, cape.
SAM. Excæcor, heu mihi, mihi, nemo adiuuat?
BOS. Tenete fortiter ferocem belluam.
SAM. Væ uæ mihi misero, oculorum lumine
Tam turpiter priuor? ALL. Luat tali modò
Pœnas luat, sit hoc malorum exordium.
SAM. O cœlites, ô terra fertis hoc nefas?
Nunc lumina eheu perdidi, eheu perdidi
Oculos miser, quàm turpiter sum perditus.
BAAR. Quàm pulchra cantio. NET. Resumas hoc melos.
SOT. Dulcissimũ est hoc canticum, CHA. Pulchrè sonat.
SAM. Irrideor circundatus tantis malis?
Hei mihi iterum, atq; iterum, referre par pari
Quando dabitur? Vah uah scelesti mittite.
ALL. Quid tentat efferus? quid audet aggredi?
BAAR. Sic asperos pugnos date, huc impellite.
SAM. Heu heu, quò eo? quò pertrahor? quò appellam? Vbi.
Consistam? ubi manebo? quò nunc deuehar?
Ah quò ferar miserrimus mortalium?
CHA. Ad Dalilam reducimus quò te expleas
Amoribus. SAM. Refricas malum deterrimum?
Eheu amores muliebres, ô ignis ô
Vulnus latens, ô blanda mors, me perdidit

Quē cū apprehendissent philistym statim erueru͂t oculos eius.

Amor, Venenum dulce & infandum malum.
ALL. Hæc ne occinebas Dalilæ, cùm amplexibus
Te immerseras? hæc dictitabas ut puto.
SAM. Nunquam tacebitis malum sæuißimum?
Quid tam frequenter nuncupatis perfidi hoc.
Nomen? Quid auribus meis tristißimam
Vocem intonatis? Quin siletis Dalilam?
Detestor hanc & execror. Deuoueo eam
Diris & ignibus, scio, & tandem scio.
Quantum malum sit fœmina, Infœlix ego
Quibus queam sermonibus describere
Istud genus? Habui quidem olim coniugem,
Quid coniugem dico? meliùs hoc dixero:
Domesticam pestem paraui olim mihi,
Qua posteà irem perditum, qua premerer, &
Riderer omnibus, pati qua discerem
Incommoda, atq; mergerer summis malis.
Qua discerem perferre sarcinas graues.
Qua discerem ad nutum imperantis obsequi.
Sed parua sunt hæc quæ recolo, maiora me
Premunt mala, incidi deinde in alteram
Pestem, & malum teterrimum, Sed audio
Nunc diffluentes perfidos risu aspero.
Ah quid modò me inutiles questus iuuant?
Quid expleo nunc gaudijs hostes meos.
ALL. Quin pergis? his dictis nihil molestus es.
SAM.

SAM. Vah quis cruentis palpebris medebitur.
Contendere ut cum proditoribus queam?
Quod ferreas robur catenas soluerit?
Antiqua ubi Samsonis est uirtus? Vbi
Vis pristina? Heu ablata fœminæ est dolis.
Nihil queo, quid tento nunc uires meas,
Quas sustulit mali omnis author fœmina?
Quid me tenebræ sempiternæ detinent?
Quid spiritus tristes adhuc Samson trahit?
Dirus Cain resurgat, aut crudelior.
Manibusq; Samson illius nunc occidat.
Nunc tēmpora redeant Noachi, ut perditi
Omnes simul mecum ultimo malo cadant,
Aut nos aquis mergamur exundantibus.
ALL. Quid execrationibus nectis moras?
Procede scelerate, efferas citò hinc gradum.
SOT. Reclude Samson lumina, ut nunc dirigas
Gressum ad tuam charam, id est, gradere, te conferas
Veterem ad amicam, proxime en Gazam ambulas.
SAM. Me illudere an cessabitis tandem improbi?
Laxate, fas sit impudens os reprimere.
Vtinam genus meum unde sit pernoscere
Facinore possetis nouo, non sic, gradu
Dubio ambulans, risu exciperer à perfidis.
BOS. Sapit ne tam ferox homo? superba quis

Et duxerū Gazam uinctum cathenis.

προσοπεῖα: πεῖα.

Proſtat,cui curæ eſt ſalus ſua, in malis?
Vidi uiros lingua feroci præditos,
Qui magna iactarent,ſuasq́; extollerent
Vires,Vocantes quoſlibet pugnæ,ſed hic
Mox conſequutus exitus fuit rei.
Qui prouocare ſingulos uiſus fuit,
Viſus quoq; eſt fugitare ſingulas manus.
Mutire uix audens uel hiſcere,ſic quoq;
Te pariter ac effrenis hanc oris tui
Petulantiam ſtrepit usq; inhumanos grauis
Quadam ab aliquo noſtrum excitata quiuerit
Sedare tempeſtas,tace ergo ſi ſapis.
SAM. Sed ego homines uidi tyramos, turgidos
Superbia & dementia execrabiles,
Qui iuris exortes, & æquitatis in
Omnes ruebant proximorum agros,opes,
Poſſeßiones,& bona,Hæcq́; exercitu
Magno auferebant,comprimebantq́; impij
Deinde erat quidam mei non admodum
Diſsimilis, ac animo pari,quem pro omnibus
Hoſtes ſibi ad pœnam dari optabant,is à
Suis in iſtorum manus eſt traditus.
Implicitus,& ligatus arctis uinculis.
Petulanter inſultabat huic turba hoſtium.
Sed ſe expediuit uinculis,qui omnibus
Riſui erat,& fugauit omnem exercitum,

...ictioni ſu ...eriori red ...li videtur ...lia fictio. ...ed mor- ...ax & au- ...ientibus ...ſpera.

Fuditq́;

Fuditq; solus, atq; inermis copias.
Et sic quidem amouit tyrannidem hostium
Vnus uir, ac (nisi forsitan fallor) puto
Nouisse uos, qui præstitit tam grandia.
Procul nec absunt hinc, quibus res contigit.
Quid dicitis recténe diuinari ego?
BOS. *Feremus in uiuis diutiùs trucem*
Frendentem, acerbam, atram, superbam beluam?
SAM. *Nunc mors placet, mortis uiam uolo dari.*
ALL. *Non sic scelus, non ut cupis tibi accidit.*
Non tam breues pœnas lues pro sceleribus.
Tam enormibus. Morieris, ast hoc serius.
Quod sæpe fieri non potest, fiet diu.
Præfecte mox ad carcerem ducas uirum. Et clausun in carcer molere fe cerunt.
Ibi omne quod crudele, durum, & horridum
Erit ferat. SOT. *Curabitur, sequere ocyus.*
SAM. *Trahe, ut Deus te perditum perdat citò.*
ALL. *Respublica ô uiri Dijs uolentibus*
Diu procellis concitata turbidis.
In pristinum mox redierit spero decus,
Postquam in manus hæc dira pestis incidit. Flagur. nauà ad actum co sequétem
Verùm decet primum referre gratias
Dagon Deo, Quare optimates subditos
Monete, ut adsint tempori festo die.

Chorus

Chorus Quartus.
Carmen dicolon tetrastrophon.

Dilexit nimium fortis & impiger
Samson, indomitam Dalilam, & improbã,
Quæ tentauit eum multiplici uia:
Quò illum proderet hostibus.

Sic Christus Dominus primitùs admodum
Dilexit synagogam improbam & impiam
Iudæi populi, quæ studuit diu
Illum fallere nequiter.

Samson depositis uiribus, improbæ
Lupæ fraudibus, est luminibus suis
Captus, traditus ac hostibus efferis,
Ridendus nimium impiè.

Christus cùm uoluit, se hostibus inuidis
Permisit, quibus est prò nimium malè
Acceptus. Caipha præside perfido
Delusus populo & suo.

Semichorus.

Non te commoueant qui populum regis
Risus. nec reuocent te à melioribus.

Hos

Hos olim Dominus pertulit omnium,
Exemplo ut fieret tibi.

Nec mortem fugites eximere ut tuos
Poßis seruitio, quod ferus imperat
Turcus, quo fuerit mors truculentior,
Hoc surges meliùs Deo.

Actus Quintus.

Alluph. Netsib. Soter. Cœtus Palęstinorum. Samson. Hophsi.

ALL. Principes Philistinorum conuenerunt in vnum vt immolarēt hostias magnificas Dagō Deo suo.

Sic sic sonent lætum triumphum, sic canant
Tubæ superbæ, cesset in præsens sonus
Vel claßicus uel bellicus, suauius
Quid concinant, sic grata procedat cohors.
BOS. *Nunc hoc deest unum hoste deuicto bonum,*
Vt gaudijs solemnibus sit hic dies
Lætus, Palæstinisq; celebris omnibus.
NET. *Salit mihi cor gaudio, nec me fero.*
O tempus, ô lucem beatam. Laudibus
Quibus colam tandem Deum Philistym?
ALL. *Depone cultus squalidos, festos cape*
Quisquis palæstinum Deum Dagon colis.
Plaudendi adest tempus, Videte quis uiri
Vos cladibus tam graudibus preßit diu.

Hæc

Hæc pestis est, hic autor est omnis mali.
BOS. I nunc ferox Samson, iuuat ne ducere ad
Delubra pompam? i nunc, triumpha de hostibus.
Liactites facinora. SAM. Proh dirum nefas.
Proh impudentiam ferocium hostium.
Quod proditores consequuntur fraudibus,
Laudes modò in suas referre gestiunt.
SOT. Nunquã ferox parere discet tempori?
Nec carceris cruces domabunt impium?
ALL. Præeat uelit nolit triumphantes duces.
Iam pompa eat, dulce occinens nobis melos.
COET. PAL. Ciues palestinæ decet.
Altosq; rerum præsides,
Gaudere magno gaudio,
Samsone capto perfido.
Ponatur ergo iam timor.
Omnisq; tollatur pauor.
Redeantq; uultus nunc boni.
Ad læta redeant omnia.
SAM. Eheu reseruatus fui tantis malis?
Succurre quisquis erigere miseros soles,
Succurre Samsonem iuuans, me, me petas
Telis tuis, emitte mortis spiculum,
Emitte, nec uiuam amplius, sed quid puer
In recta me deflectis errantem gradu?
Permitte labi melius inueniam uiam.

Quam quæro solus, quæ me ab hac uita abstrahat.
Et auferat uisum mei Philistym.
HOPH. *Vis nulla Samson à tuo meam manum*
Corpore resoluet. Dirigam inuitum gradum.
ALL. *Nunc ecce uentum est ad aditũ fani, reduc*
Præfecte Somsonem, & profundo carcere
Claudas uirum, ibi festum diem ducat ferox.
Nullus sacris Dagon profanis est locus.
SOT. *Abunde plebi uisus est Samson, redi*
Ad carcerem, redi ad specum notum tibi.
SAM. *Ah uideor omnibus, uidens sed neminem,*
Quis obruet me? aut quis Deus uitam auferet?
Age, redde me cæcis locis placet, modò
Spectaculo non sim palæstinis diu.

Scena secunda.

Gebed æditüus. Alluph. Cohen pontifex. Cœtus Palęst. Chabed. Soter. Baar.

GEB. *Qvi uictimas ut offeratis Principes*
Venistis huc, adeste. iam aris pontifex
Astat sacris. ALL. *O summe præsul accipe*
Has hostias, litesq; eas nostro Deo
Dagon, Deo omnium Deûm fortissimo.
Quòd in manus nostras luem sæuam dedit.

Subiecit & nobis ferum Samsonem, age
Iugula Deo anguillas retortas, lubricas;
Gratum cibum illi. COH. Iam cedò custos mihi,
Quæ principes secum attulerunt munera.
Tranquilla sit plebs omnis. Id uoce intona.
GEB. Silete ciues. Vos parate principes.
Taceat Palæstinus populus omnis simul.
Deo apparat summus sacerdos hostias.
COH. O magne defensor Philistym Deus
Dagon, cape hæc libamina ignibus sacris
Imposita, nidore expleas te, adsisq; ijs
Quæ nos tibi donamus omnes beneuoli.
Coramq; te hodie profitemur unicum
Donâsse te nobis salutem maximam.
Samson ferox olim studebat perdere
Plebem tuam inclamauimus numen tuum,
Et liberâsti nos, uidens angustias
Quas intulit populo tuo hostis perfidus.
Nos ergo deprecamur inter cælites
Primum fauorem & numen O Dagon tuum.
Nos nos deinceps protegas, & arceas
Omnem metum, immanißimorumq; hostium
Iras, & odia sempiterna comprimas.
Nullo sinas exuscitari tempore
Tam informe monstrum, uel ferocem beluam.
COET.

COET. PAL. *Da da Deus quod deprecatur pontifex.*

COH. *Bonum omen est ô principes, se uictima*
Admota flammis uiuidis collegit in
Orbem, stetitq; palpitans ut circulis
Factis, agamus hunc diem festum: monet,
Vinum fluat in orbem Palæstinæ incolis

ALL. *Viuat Deus tam grata nobis imperans.*

COET. PAL. *Viuat Deus Dagon, colatur uictimis.*

COH. *Maiora nunquam signa beneuolentiæ*
Nostri Dei uidi. BOS. *Quod qui uidet*
Omnia licèt plerunque differat suam
Opem diu, haud ferat suos semper premi.
Pœnasq; criminum potest reposcere,
Et reddere actionibus sua præmia
Nouit Deus, uicesq; uertere. SOT. *Anteà*
Samson triumphabat ferox, sed fortibus
Tandem Palæstinis locum inuitus dedit.

ALL. *Nunc Pontifex præi, paratis omnibus*
Accumbe, sacratas Deo iam uictimas
Aepulemur omnes pariter, & festum diem
Ducamus hilariter. tenebo istum locum.
Quidnam statis? cunctamini accedere? mihi
Succede. Principes sequantur cæteri:

COH. *Sic optimates est dies præsens pari*

Celebrandus animo, quo quieta pax redit,
Quo sceptra Principum Philistym manent
Inuicta. quo sublatus est omnis metus.
Sed exequar uiri quod hostia monuit
Cùm in circulum se uolueret, nec restitit
Flammis micantibus, bibam igitur omnibus
Nunc optimatibus auream pateram. hæc eat
In circulum, & reddantur orbes orbibus.

ALL. Sed interim exhaurite uestros cantharos.
COH. Quàm forte uinum est. ALL. Fortior sed qui bibit.
COH. Est grandior. parũ abfuit quin mergerer.
BAAR. Nihil minus. ALL. Sed indica quis sit sapor
Vini. COH. Supra modum placet. sed tute fac
Periculum. Quid? Vertitur cerebrum mihi.
ALL. Hem funde nobis candidum. Quid furcifer?
Metam exilis. CO. Ne uerba fac, exhaurias.
ALL. Si stultior fiam imputabo Antistiti.
Infunde tantundem: Domino iniquus uide
Ne sis tuo, Quantum studet me fallere.
CHA. Affunde aquam. ALL. Id nunquam feram, merum bibes.
CHA. Seuerus es nimis, caput uix perferet.
BAAR. Ne uerba fac in re facillima, bibe.
Ha ha uiri qui colllui guttur meum.

CHA. Sed hi nihil potant. COH. Nihil potãdo non
Erunt mihi aut Dagon Deo Philistym
Grati. ALL. Heus puer capaciores adferas. (cãtio
Nobis scyphos. BAAR. Probè facis. CHA. Nunc
Saltusq; me iucundior magis iuuet.
COHE. Ventérne pinguior salire gestiat?
CHAB. Samson meam posset uoluptatem modò
Augere solus me dapis saties tenet;
Et non minus uini iuuaret cernere
Hostem efferum cæco pede errantem, & gradu
Trepido aut in hanc partem cadentem aut alterã.
ALL. Vocetur. hem, præfecte cum educ carcere.
SOT. Effectui nulla mora mandauero.
ALL. Sed præcinas ô Pontifex iam canticum
Dagon Dei laudes tenens fortissimi.

COHE. Cantate Dagon inclyto,
Cantate dulce canticum.
Virtute cuius uicimus
Ferociam hostis maximi.

COET. PAL. Cantate Dagon inclyto, etc.

COHE. Nunc buccinatores canant.
Nunc concinant melos nouum.

Solemnis est præsens dies
Dagon Deo Philistym.

COET. PAL. Virtute cuius uicimus.
Ferociam hostis maximi.

COHE. Venite plebs Philistym,
Venite læti uictimas
Offerte uestro Præsidi.
Dagon Deo fortißimo.

COET. PAL. Virtute cuius uicimus.
Ferociam hostis maximi.

COHE. Det gloriam, det hostias
Det hoste capto munera,
Quisquis Deum Dagon colit,
Deum Deorum maximum.

COET. PAL. Virtute cuius uicimus.
Ferociam hostis maximi.

COHE. Solemnis est præsens dies
Dagon Deo fortißimo.
Virtute cuius uicimus
Ferociam hostis maximi.

COET. PAL. *Solemnis est præsens dies. et c.*

Scena tertia.

Soter. Samson. Alluph. Cœtus. Palæstinorum. Hophsi. Cohen.

TAntásne nobis inferes Samson moras. SOT.
Audisne queis Philistym se gaudijs
Nunc expleant? propera, dies festus tibi.
SAM. *Proh tenebræ acerbæ. proh miserrimus dies*
Vbi mors? ubi illa? qui mali huius testis est
Intendat arcus, enecet me me ocyus.
Necate me. quid trahitis amplius necem?
An commodabit nemo Samsoni manum?
Iuuet agedum quispiam, seu misericors
Est, siue crudelis. Is erit gratus mihi.
ALL. *En, ecce adest Samson uiri, necdum minas*
Ponit ferox? SOT. *Infractus est cautes uelut*
Durissima. COH. *Hem uidete qui titubet homo.*
COET. PAL. *Nunc disce uulpes uulpibus connectere.*
ALL. *En cursitant, attolle Samson lumina.*
SAM. *O misera uirtus, ô superba scommata.*
Quin uos truces potius datis miserum neci?
Mactate saxis undiq; infœlix caput.

 Ingra-

Ingratus Israël, opem nunquam feret?
Tandem excipite diris malis me uindicem
Iniuriarum patriæ. ALL. *surdis canis.*
SAM. *O terræ & urbes, nemo succurret mihi?*
Vt inclyto læto carerem, ubiq; mors
Me fugit hactenus, pudet tedetq; me
Vitæ meæ, quis liberabit? quisnam erit
Qui uindicet me? prô malum, ô dirum malum.
Samsonis ô turpißimum factum. ô pudor
Tristis mihi. Vulgò feretur, fœminam
Samsonis euicisse fortitudinem.
O Dux malorum fœmina, Vt delusus est
Samson tuis tectis dolis. sed quid sibi
Hoc uult? quòd erga animantium serpentium
Dirum genus, collata sint mortalibus
Remedia, quæ uel uiperæ morsûs feros
Virusq; curent omne pestiferum & malum.
At nemo contra fœminam inuenit malam
Adhuc remedia certa. Vah. Vah. execror,
Detestor omnes, horreo. quando semel
Vos excidetis cogitatione? non
Sustinet animus, impellitur tamen uelit
Nolit. nec unquam tempus est quin cogitem,
Scelerum omnium artificem fuisse fœminam.
Non horridus sæuusq; me uicit leo.
Non sempiternorum hostium ingens copia,

Non arma,non munita ciuitas, sed(heu
Me depudet fari.)architectrix pestium,
Quascunq; uidit orbis unquam, fœmina,
Vrit medullas hoc malum, omnino excedit.
Eho puer,lassum columnis admoue,
Quibus domus tota imminet, fac paululùm
Detur mihi à laboribus misero quies.
HOP. *Horsùm ergo dirigas gradũ,en cõtingito.*
COH. *Samson quiescens succinas, iam præcinam.*
ALL. *Oblitus est. Non chara adest nunc Dalila.*
SOT. *Vocanda ut illum basijs demulceat.*
SAM. *Conuerte uultus ad meas clades Deus.*

COHE. *Quondam superbus uir fuit,*
Suisq; fidens uiribus:
Is ausus est lacessere
Ciues Palestinæ bonos.

ALL. *Quin succinis Samson? suaue carmen est*
Quod præcinit præsul. SOT. *Videte ut ringitur*
Ferox homo, Sed cœpta præsul perfice:

COHE. *Non pertulit numen pium*
Semper scelestum uincere.
Tandem in manus nostras ferox
Iuuante Dagon,incidit.

COET. PAL. *Non pertulit numen pium?*

COHE. *Hic est Deus fortißimus,*
Incomparabili extulit
Plebem suam nunc gloria,
Suam potentiam explicans.

COET. PAL. *Hic est Deus fortißimus. et c.*

COHE. *Non cedit Israël Deo,*
Dagon Deus Philistym.
Canamus huius gloriam.
Canamus & potentiam.

ALL. *Perstringat hoc uinum melius ut post canas.*
Guttur tuum. COH. *Circumferatur hic scyphus.*
ALL. *Ringatur & sese exedat Samson ferox,*
SOT. *En igneum uultum & truces minas uiri.*

COET. PAL. *Non cedit Israël Deo. et c.*

SAM. *Audite terræ, audite aquæ, audite hoc scelus.*
Conclusa littoribus maria tantam audiant
Superbiam, tantumq; flagitium audiant.

Quo=

Quocunq; diffugistis audite superi.
Quocunq; diffugistis audite inferi.
Tantum nefas tolerabitis, tamq; impios?
Quid non dehiscit nunc solum? quid non aquæ
Omnes simul mergunt? Quid ô uos cœlites,
Non mittitis fulminea tela? quid inferi
Non omne dirum emittitis caligine?
Vacate uocibus meis, uacate nunc,
Vacate quæso. Vacate, nil petam amplius.
Intendite in preces meas ô cœlites.
Intendite obsecro preces in ultimas
Samsonis. impia uota non erunt mea
ALL. Ira ardeas, nihil moramur perfide,
Quæcunq; agis, nihil moramur aut minas
Aut uerba, nil moramur impias preces.
Est fortior tuo Deo noster Deus.
SAM. Exurge iudica tuam causam Deus,
Exurge tandem, nil quidem pro me precor,
Causa est tua, Violatur hic honor tuus.
Hic spernitur numen tuum, potentia
Tua hic iacet, semper superbia hostium
Augetur, & si quid mihi uelis dare,
Da fortitudinem usitatam primitus,
Roburq; pristinum, unica ultione quo
Me uindicem pro amissione luminum.
Samson cadat, placet, modò hostes concidant.

Cur animam in iſta luce detineam amplius?
Quid uita longior mihi nunc conferat?
Da, ſi quid eſt conferre quod uelis mihi.
Da, nam diu pateris nimis noſtras manus
Ceſſare. Quid me facere mandas ô Deus?
Nil abnuo, fortem exitum mihi ingere.
Samſonis an ſummus dies nullum malum
Proſternet? ignauus nimis certè forem.
Hortatur animus grande quippiam aggredi,
Tandem lubet. Samſone dignum facinus eſt.
Votum ſecundet qui poteſt noſtrum Deus.
Sit titulus ultimus hic, animæ incipe
Samſon morere. Philiſtym ſimul ruant.

ALL. *Nutat domus toto.* COET. PAL. *Hoi uiri*
Hoi, perimus. Hoi, etc.

EPILOGVS.

VT gratias uobis agam, in primis tamen
Illustribus, doctisq; qui decorâstis hos
Ludos, reuertor. Nomine iuuenum rogans,
Pariterq; nostro, ut candidè dignemini
Accipere, quod donauimus nos pectore
Et candido. Excitetq; Samson Principes
Velim uiros, zelo religionis piæ,
Quæ tradita est per tot recursus temporum.
Non ille censuit nouam & natam nuper
Fidem tuendam uiribus, sed quam patres
Ceu transtulissent per manus ad posteros:
Pro illa, uelut pro aris focisq; dimicat.
Concordia si Christiani principes
Semel ligentur inuicem, & animo pari,
Vnaq; maiorum fide, Turcas petant,
Facilè & citò tyrannidem represserint.
Si autem tenere pergat hos discordia,
Furor, peribunt omnia, & regna inuicem.
Distracta tandem corruent. Videat simul,
Samsonis exemplo, Iuuentus feruida,
Quantum mali inuehant subinde fœminæ,
Discatq; uiribus suis non fidere.
Quisnam fuit Samsone quæso fortior?
Nunquidne fœminæ dolis posuit tamen
Robur suum? Qui rugientem belluam

Discerpsit,

Discerpsit, an non fœminæ dedit locum?
Qui se expediuit uinculis firmißimis
Inermis, & solus mulieris fraudibus
Num quidne circumuentus est? Qui fudit &
Totas cohortes militum, nunquid fuit
A Dalila effreni atq; auara uictus? Ast
Tu sanctitati forsitan fidis tuæ?
Quid nonne Dauid, uir secundum cor Dei,
Per fœminam fœdatus est grauißimis
Sceleribus? Et sapientiæ, credo, tuæ
Inniteris, sed pensites tecum priùs
Quo arx uenerit sapientiæ Salomon, ubi
Se credidit duci malorum fœminæ.
Si tu ergo nec Samsone sis robustior,
Nec sanctior Dauide, nec sapientior
Salomone, ne securiùs cum fœminis
Viuas, capi nisi uelis harum dolis.
Obsiste primis ignibus, libidinis premens
Scintillulas exurgere uolentes, ita
Victoriam speraueris tanti mali.
Si uerò eas exuscites & blandiens
Hoc nutrias domesticum malum, excides
Victoria, seroq; flammas comprimes:
Quin perditus nolis uelis curas feres,
Valete nunc fœliciterq; uiuite.

FINIS.

W